De Gratia

.52
.93

Weston

THESES QUAEDAM SELECTAE

DE GRATIA

JOHANNES MORAN, S.J.

Weston, Mass.

ALMA COLLEGE
234.02
LIBRARY
M793
Calif.

42305

BIBLIOGRAPHIA

OPERA GENERALIA

D-B. = Denzinger, H.-Bannwart, C., Enchiridion Symbolorum, Friburgi Brisgoviae, 1928.
Cursus Sacrae Scripturae Auctoribus R. Cornely, I. Knabenbauer, Fr. De Humelauer Inchoatus, Parisiis.
De Journel, R., Enchiridion Patristicum, Friburgi Brisgoviae, 1922.
Tixeront, J., Histoire des Dogmes, II[8], Paris, 1924 et III[7], Paris 1928.

OPERA SPECIALIA

Beraza, B., Tractatus de Gratia Christi, Bilbao, 1916.
Lange, H., De Gratia, Friburgi Brisgoviae, 1929.
Mazzella, C., De Gratia Christi, Woodstock Marylandiae, 1878.
Muncunill, J., Tractatus de Gratia Christi, Barcinone, 1927.
Pesch, C., Praelectiones Dogmaticae, Tom. V, Friburgi Brisgoviae, 1916.
Pohle, J.-Preuss, A., Grace, Actual and Habitual, St. Louis, 1924.

N. B. Quando citatur tractatus sine nomine auctoris, consulantur notulae in hac schola traditae.

ALMA COLLEGE LIBRARY Alma California

INDEX GENERALIS

Pagina

Th. I. Gratia actualis consistit praecipue in immediata illustratione mentis et immediata inspiratione voluntatis. 1

Th. II. Gratia actualis est absolute necessaria ad omnem actum salutarem. 7

Th. III. Non omnia opera peccatorum et infidelium sunt peccata. Immo potest homo lapsus sine ulla gratia perficere aliqua opera naturaliter bona. 11

Th. IV. In hoc statu homo sine auxilio gratiae non potest diu servare totam legem naturalem, ne quoad substantiam quidem. 17

Th. V. Gratia est adeo gratuita ut homo nequeat solis viribus naturae eam mereri neque de condigno neque de congruo, neque eam impetrare, neque ad eam sese positive disponere. 21

Th. VI. Gratiam saltem remote sufficientem dat Deus (1) omnibus justis, ut possint implere mandata et sic in justitia manere, (2) omnibus peccatoribus ut possint ad justitiam redire, (3) omnibus infidelibus adultis, ut possint ad fidem et justitiam venire. 26

Th. VII. Datur in hoc ordine gratia vere et pure sufficiens ad salutariter agendum. 32

Th. VIII. Homo sub influxu gratiae manet liber. 35

Th. IX. Nexus infallibilis inter gratiam efficacem et consensum voluntatis non pendet ex intrinseca natura gratiae efficacis. 40

Th. X. In justificatione peccatoris peccata ita remittuntur ut vere deleantur. 45

Th. XI. Causa formalis justificationis est donum intrinsecum in anima et physice permanens, quod apte vocatur gratia sanctificans. 49

Th. XII. Homo justus, bonis operibus ab eo per gratiam Dei factis, vere meretur vitam aeternam. 53

Auctoritates Scripturae Praecipuae. 56

Index Rerum. 58

Index Nominum. 60

THESIS I. GRATIA ACTUALIS CONSISTIT PRAECIPUE IN IMMEDIATA ILLUSTRATIONE MENTIS ET IMMEDIATA INSPIRATIONE VOLUNTATIS.

Beraza, pp.1-16, 20-47.
Lange, pp.1-6, 367-391.
Mazzella, pp.9-33, 88-108.
Muncunill, pp.3-33.
Pesch V, pp.7-22.
Pohle-Preuss, pp.3-41.

Gratia est donum indebitum, seu gratuitum. Quidquid omnino gratis datur, est gratia.

Divisiones gratiae.

(1) Gratia est aut naturalis aut supernaturalis.

a) Gratia naturalis comprehendit creationem, ceteraque bona naturae debita, uti sunt conservatio, ingenium, libertas, etc.

b) Gratia supernaturalis, de qua agimus, est donum indebitum, a Deo concessum, et pertinens ad vitam aeternam.

Explicatur definitio. Est indebitum. Non debetur naturae humanae : neque ut essentia, neque ut pars essentialis naturae, neque ut facultas, neque ut complementum ne natura frustra sit, neque ut finis. Non debetur homini propter opera mere naturalia. (Vide Thesim 5.)

Pertinens ad vitam aeternam; proinde est supernaturalis. Nam vita aeterna est visio beatifica qua videmus Deum "facie ad faciem"(I Cor. 13,12). Visio autem beatifica est naturalis Deo; sed est supernaturalis respectu cujusvis creaturae, quia superat exigentiam et capacitate m cujusvis naturae creatae. Igitur non possumus pervenire ad illam visionem viribus nostris naturalibus. Unde illa auxilia quae Deus dat nobis ut possimus ad vitam aeternam pervenire, sunt supra naturam.(S. Thom. 1a 2ae, q.109, a.5.) Pro notione supernaturalis, vide notas ad prop.4, De Deo Creante.

(2) Gratia tum naturalis, tum supernaturalis, est aut externa aut interna.

a) Gratia externa supernaturalis est donum homini extrinsecum, e.g., doctrina revelata, Ecclesia, Sacramenta.

b) Gratia interna supernaturalis est donum animae intrinsecus inhaerens, uti illustratio salutaris, gratia sanctificans, Tantummodo de gratia interna loquimur.

[illegible]

[illegible], pp.1-19; 20-47.
[illegible], pp.1-6; 267-293.
[illegible], pp.9-32; 86-106.
[illegible], pp.9-35.
[illegible] V, pp.7-82.
[illegible]-Pfeuss, pp.1-41.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

(3) Gratia supernaturalis interna est aut "gratum faciens" aut "gratis data".
   a) Gratia "gratis data" conceditur homini per se et primario propter salutem aliorum, e.g. potestas remittendi peccata.
   b) Gratia "gratum faciens", de qua loquimur, datur homini per se et primario propter sui ipsius salutem, ut e.g., fides.

(4) Gratia gratum faciens sumitur aut sensu stricto aut sensu lato. Sensu stricto est gratia sanctificans. Sensu lato significat omnem gratiam quae confert ad iustificandum sive immediate sive mediate hominem cui datur, seu aliis verbis includit gratiam tum habitualem tum actualem.
   a) Gratia habitualis est donum in anima de se permanens, perficiens animam quoad statum.
   b) Gratia actualis est auxilium internum transiens, a Deo datum ut homo eliciat actum salutarem. Actus autem salutaris est actus positive conducens ad salutem. (Vide Thesim 2.)

Loquimur igitur de gratia SUPERNATURALI, INTERNA, GRATUM FACIENTE, et ACTUALI.

Prout gratia actualis urget hominem ad ponendum actum deliberatum non adhuc positum, vocatur gratia praeveniens, seu excitans, seu operans. Quando homo ponit actum salutare m, eadem gratia, prout influit in actum vocatur gratia concomitans, adjuvans, seu cooperans. Agimus in thesi de gratia praesertim quate-nus est praeveniens.

N.B. Hi termini non semper ab omnibus eodem sensu accipiuntur, sed sensus noster est communior. (Cf. Pesch n.215).

ILLUSTRATIO mentis est bona cogitatio producta in nobis a Deo. Potest esse aut mediata aut immediata.
1. Illustratio mediata ea est quae oritur ex aliquo facto externo, e.g. ex lectione libri. Est immediate ex libro, mediate a Deo.
2. Illustratio immediata, de qua in thesi, oritur ex immediato et directo influxu Dei in intellectum. Ipse Deus ponit cogitationem in mente.

INSPIRATIO voluntatis est impulsus, seu tendentia, seu inclinatio voluntatis in bonum. Haec etiam potest esse aut mediata aut immediata.
1. Inspiratio mediata est motio sponte producta in voluntate quando habetur illustratio in mente.
2. Inspiratio immediata, de qua in thesi, est motio in voluntate ex immediato et directo influxu Dei in facultate.

Jamvero quando nos urge-mus hominem ad aliquem actum libere ponendum, conamur producere in illo bonam aestimationem illius actus et inclinationem voluntatis in actum

ponendum. Idipsum facit Deus. Sed nos adhibemus verba, et Deus immediate producit bonam cogitationem in mente et bonum impulsum in voluntate. Haec bona cogitatio et hic bonus impulsus sunt actus nostri indeliberati, et gratia actualis plerumque stat in his actibus. Non dicimus gratiam consistere exclusive in his actibus. (Nota vocabulum "praecipue" in enuntiatione thesis.) Nam actus deliberatus voluntatis aliquando est gratia actualis. (Pesch V. nn.32,33). Et etiam nonnulli actus sensationis participant de ratione gratiae. (Cf. Pesch, n. 204 c).

ADVERSARII

Pelagiani, saeculo quinto, probabiliter negabant omnem gratiam vere internam. (Cf. Tixeront "Histoire des Dogmes;" 2ª 2ª, pp. 444sq., 449.)

Pauci Catholici negant inspirationem immediatam.

Thomistae admittunt illustrationem et inspirationem pertinere ad gratiam; sed dicunt eas esse effectus gratiae, et non formaliter gratiam. Nam reponunt essentiam gratiae excitantis in dono transeunte non vitali, quod donum, secundum illos, est causa proxima illustrationis et inspirationis. (Pesch V Prop. 5).

NOTA

Thesis, prouti stat, non habet notam theologicam. (D-B, 1090 et 1097). Est nobis certa.

PROBATIO

Ex Traditione

Gratia actualis consistit praecipue in illis rebus quas concilia et patres commemorant quando loquuntur de natura gratiae actualis.

Atqui illae res sunt immediata illustratio mentis et immediata inspiratio voluntatis.

Ergo.

Ad Majorem.

Agitur de re supernaturali. Ergo argumentum debet erui ex fontibus revelationis.

Probatur Minor

1) Quoad concilia: citare possunt;
   a) Milevitanum II. (D-B. 104).
   b) Arausicanum II. (D-B. 180).
   c) Trid. Sess.6. (D-B. 797 et 813).
   d) Vaticanum, Sess. 3. (D-B. 1791).

2) Quoad Patres. Cf. de Journel "Enchiridion Patristicum" in Indice Theologico s.v. Natura gratiae.

DIFFICULTATES

1. Illustratio et inspiratio sunt actus nostri vitales.
ATQUI gratia actualis non consistit in actibus nostris vitalibus.
ERGO gratia actualis non consistit in illustratione et inspiratione.

R. Dist. Maj. Sunt actus vitales producti in nobis a Deo, C.
Sunt actus non producti a Deo, Neg.
Contradist. Min.

2. Atqui actus nostri vitales, etiamsi sint a Deo, non sunt gratia actualis.
Ergo manet difficultas.

PROB. Gratia actualis, saltem excitans, fit in nobis, sine nobis; ita Patres.
ATQUI actus nostri vitales non fiunt in nobis sine nobis.
ERGO non sunt gratia.

R. Dist. Maj. Fit sine nobis libere consentientibus, Conc.
Sine nobis vitaliter agentibus, Neg.
Contradist. Min.

3. Bona cogitatio et bonus impulsus voluntatis sunt effectus gratiae.
ATQUI effectus gratiae non constituunt gratiam.
ERGO bona cogitatio et bonus impulsus non constituunt gratiam.

R. Dist. Maj. Bona cogitatio deliberata et bonus impulsus deliberatus, Trans.
Bona cogitatio indeliberata et bonus impulsus indeliberatus, Subdist.
Sunt effectus gratiae principiative sumptae, Conc.
Effectus gratiae formaliter sumptae, N.
Contradist. Min. Effectus gratiae formaliter sumptae non constituunt gratiam formaliter sumptam, Conc.
Effectus gratiae principiative sumptae non constituunt gratiam formaliter sumptam, N.
Pariter Dist. Cons. Si illi actus sunt deliberati, Trans.
Si sunt indeliberati, Neg.

4. Ex Scripturis et Patribus, gratia est vox Dei et pulsatio.
ATQUI illustratio non est vox Dei, sed auditio vocis; et inspiratio non est pulsatio , sed perceptio pulsationis.
ERGO illustratio et inspiratio non sunt gratiae, sed effectus gratiae.

R. Dist Maj. Gratia principiative sumpta est vox Dei, et pulsatio, Conc.
Gratia formaliter sumpta, Neg.
Conc. Min.
Pariter Dist. Cons. Non sunt gratia principiative sumpta, Conc.
Non gratia formaliter sumpta, Neg.

5. Illustratio et inspiratio sunt actus salutares.
ATQUI actus salutares sunt effectus gratiae formalis.
ERGO illi actus sunt effectus gratiae formalis.

R. Dist. Maj. Sunt actus dispositive salutares, Conc.
Sunt formaliter salutares, Neg.
Contradist. Min.

Explicatio. Illi actus indeliberati urgent et disponunt hominem ad actum deliberatum qui est proprie et formaliter actus salutaris.

6. Atqui actus dispositive salutaris est effectus gratiae formalis.
Ergo manet difficultas. Probo.

Actus dispositive salutaris est actus supernaturalis.
ATQUI actus supernaturalis est effectus gratiae formalis.
ERGO.

R. Dist. Maj. Est supernaturalis et deliberatus, Neg.
Est supernaturalis sed non deliberatus, Conc.
Contradist. Min.

7. Atqui etiam actus supernaturalis et non deliberatus postulat praeviam gratiam. Ergo manet difficultas. Probo.

Facultas non potest elicere actum supernaturalem nisi facultas prius elevetur ad ordinem supernaturalem.
ATQUI illa praevia elevatio postulat praeviam gratiam.
ERGO.

R. Dist Maj. Facultas non potest elicere actum supernaturalem nisi elevetur aut ante actum aut in ipso actu, Conc.
Nisi elevetur ante actum, Neg.
Contradist. Min. Praevia elevatio postulat praeviam gratiam, Trans.
Elevatio quae fit in ipso actu, Neg.

Explicatio. Ille actus indeliberatus producitur a Deo et a facultate humana. Determinatur a Deo et elicitur a facultate. Quia est a Deo, est supernaturalis; quia est a facultate, est vitalis. Ipse actus indeliberatus elevat voluntatem ad ponendum actum deliberatum supernaturalem.

8. Ex S. Thoma, 1a 2ae, q.111, a.2,c. Gratia est divinum auxilium quo Deus movet nos ad bene volendum.
ERGO datur ante ipsam volitionem.

R. Dist. Ant. Auxilium quo Deus movet nos ad actum deliberatum, C.
Ad actum indeliberatum, Subdist.
Ita ut auxilium sit ipsa motio voluntatis, C.
Ita ut auxilium sit aliquid distinctum a motione voluntatis, N.

Explicatio. Deus dat auxilium movendo voluntatem ad actum indeliberatum. Vide S. Thomam, 1a 2ae, q. 110, a.2. "Actus moventis in moto est motus."

9. Saltem non requiritur inspiratio immediata, sed sufficit mediata.

Probo ex Psalmo 118, v.34. "Da mihi intellectum et scrutabor legem tuam: et custodiam illam in toto corde meo." Unde:
Sufficit illustratio immediata ut homo custodiat legem Dei.
ERGO non requiritur inspiratio immediata.

R. Nego Ant. Vide vv. 32 et 36.

THESIS II. GRATIA ACTUALIS EST ABSOLUTE NECESSARIA AD OMNEM ACTUM SALUTAREM.

Beraza, pp.144-197.
Lange, pp.13-41.
Mazzella, pp.163-206.
Muncunill, pp.123-136; 143-159.
Pesch V, pp.38-69.
Pohle-Preuss, pp.82-123.

Actus Salutaris est actus positive conducens ad salutem. Salus in genere est incolumitas a periculo et diversa juxta diversitatem periculorum. Salus spiritualis est incolumitas a periculo gehennae. Salus perfecta habetur in altera vita et consistit in visione beatifica. Salus inchoata habetur in hac vita et consistit in justificatione, seu in possessione gratiae sanctificantis. Actus quibus homo injustus positive tendit in justificationem, et actus quibus homo justus tendit in visionem beatificam, sunt salutares.

Necessarium ad actum est id sine quo actus fieri nequit.

Moraliter necessarium est id sine quo actus non potest fieri nisi cum magna difficultate. Sine eo actus est moraliter impossibilis.

Absolute necessarium seu physice necessarium est id sine quo actus nullo modo potest fieri. Sine eo actus est omnino impossibilis. Asserimus physicam necessitatem gratiae actualis ad omnem actum salutarem.

ADVERSARII

Pelagiani. Hi exaggerantes perfectionem naturae humanae, docebant hominem posse, per usum liberi arbitrii, sine interna gratia Dei, pervenire ad vitam aeternam.

Semipelagiani. (Cf. Tixeront "Histoire des Dogmes" III, 37 pp.274-301). Admittebant hominem non posse sine gratia interna pervenire ad vitam aeternam, sed docebant hominem posse per suos actus mere naturales mereri gratiam.

Rationalistae recentiores non tantum necessitatem sed ipsam possibilitatem gratiae oppugnant.

Pauci Catholici negant absolutam necessitatem gratiae actualis in homine qui habet gratiam habitualem(gratiam sanctificantem et virtutes supernaturales).

Thesis habet duas partes:

1) IN homine qui non habet gratiam habitualem gratia actualis est absolute necessaria ad omnem actum salutarem.

2) Etiam in homine qui habet gratiam habitualem.

NOTA

Prima pars est de fide ex Conc. Arausicano,(D-B.178 et 180); etiam ex Conc. Tridentino(D-B.812 et 813).

Secunda pars est probabilior et communior.

PROBATUR PRIMA PARS

Supernaturalis interna

Gratia (divina) est absolute necessaria ad omnem actum salutarem.

aturalis Atqui in homine qui non habet gratiam habitualem,
rna gratia (divina) est gratia actualis.

Ergo in homine qui non habet gratiam habitualem, gratia actualis est absolute necessaria ad omnem actum salutarem.

Probatur major ex Joan.15, 1-6, praesertim ex v.5, "Sine me nihil potestis facere." Dominus loquitur de ordine supernaturali, nam loquitur de ordine in quo Ipse est vitis et nos palmites. "Sine me" significat "Sine meo influxu" ex natura ipsius similitudinis. Necessitas hujus influxus est absoluta.(Cf. Knabenbauer in h.l.)

PROBATUR SECUNDA PARS

Doctrina de absoluta necessitate gratiae actualis ad omnem actum salutarem etiam in homine qui habet gratiam habitualem est consona cum Sacra Scriptura, cum declarationibus et cum praxi Ecclesiae.

Ergo est tenenda.

Prob. Ant.

1) Cum Sacra Scriptura. Dominus in Joanne 15,5 loquitur hominibus qui jam habent gratiam habitualem et tamen inculcat necessitatem gratiae actualis.

2) Cum declarationibus Ecclesiae,e.g.,
   a) Cum Arausicano II(D-B.200)
   b) Cum Trid. Sess. VI(D-B.809).

3) Cum praxi Ecclesiae, quae non tamen strenue urgeret justos ad orandum pro gratiis actualibus, nisi judicaret illas esse justis necessarias.

DIFFICULTATES

1) Ex Rom.2,13 sq.---"Factores legis justificabuntur. Cum enim Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex." Unde:

Qui ita agunt ut propterea justificabuntur, eliciunt actus salutares.

Atqui sine gratia actuali gentes ita agunt ut propterea justificentur

Ergo sine gratia actuali gentes eliciunt actus salutares.

R. Conc. Maj.
Neg. Min.

2) Prob. Min.
Qui naturaliter agunt, sine gratia actuali agunt.
Atqui gentes naturaliter agunt ut propterea justificentur.
Ergo gentes sine gratia actuali ita agunt ut justificentur.

R. Dist. Maj. Qui naturaliter agunt, i.e., sine auxilio supernaturali interno Dei, sine gratia actuali agunt, Conc.
Qui naturaliter agunt, i.e., sine supernaturali revelatione, ~~Neg.~~ semper sine gratia actuali agunt, Neg.
Contradist. Min. Naturaliter, i.e., non habent supernaturalem revelationem, Conc.
Non habent gratiam actualem, Neg.
Explicatio. Gentes non habent legem supernaturaliter revelatam, sed habent legem scriptam in cordibus suis(v.15). Si observant hanc legem utique cum auxilio gratiae, justificabuntur. (Vide Cornely in Romanos, pp.122-142, praesertim p.135). Quando gentes dicuntur vivere sub natura, Judaei sub lege, et Christiani sub gratia, distinctio fit secundum externam oeconomiam et gratiam externam.

3) Aliqui Patres, e.g., Augustinus ascribunt naturae Adami potestatem salutariter agendi.
Atqui natura nostra eadem est ac natura Adami.
Ergo ascriberent naturae nostrae potestatem salutariter agendi.

R. Dist Maj. Naturae Adami prouti actu erat ante lapsum, i.e., naturae elevatae per gratiam, Conc.
Naturae Adami sine gratia, Neg.
Trans. Min.
Pariter Dist Cons. Ascriberent naturae nostae elevatae per gratiam, Conc. Naturae nostrae sine gratia, Neg.

4) S. Augustinus probat ex concupiscentia necessitatem gratiae.
Atqui necessitas ex concupiscentia est moralis.
Ergo necessitas gratiae est tantum moralis.

R. Dist Maj. Ita probat quia adversarii ejus melius intelligerent talem probationem, Conc.
Quia ipse putabat totam necessitatem gratiae oriri tantum ex concupiscentia, Neg.
Conc. Min.
Pariter Dist. Cons. Ergo in illis locis S. Augustinus probat moralem necessitatem gratiae, Conc. Ergo non agnovit necessitatem physicam, Neg.
Explicatio. Adversarii negabant ipsam existentiam gratiae verae internae. Augustinus probat existentiam adhibendo argumentum maxime obvium. Necessitas gratiae ad superandam concupiscentiam et ad operandum ethice honeste est moralis; necessitas ad ponendum actum salutarem est physica.(De Concupiscentia cf. De Deo Creante, Th.5).

5) Absurdum est dicere Deum ita condidisse hominem ut non posset per facultates naturales attingere finem suam aeternam.

R. Dist. Assertum. Si finis est naturalis, Conc. Si finis est supernaturalis, Subdist., esset absurdum si Deus recuset media ad hunc finem, Trans., si Deus dat media, Neg.

6) Sine gratia homo potest sese disponere ad gratiam accipiendam.

Atqui disponere sese ad gratiam est ponere actus salutares.

Ergo sine gratia potest homo ponere actus salutares.

R. Dist. Maj. Sine gratia potest sese positive disponere ad gratiam, Neg. Potest sese negative disponere, Conc.

Contradist. Min.

Explicatio. Positive disponere, reddere se dignum. Negative disponere, removere obstacula, pro brevi tempore vitando peccata, faciendo aliqua opera naturalia moraliter bona.

CONTRA SECUNDAM PARTEM

7) Qui jam habet potestatem salutariter agendi, non eget gratia actuali ut possit salutariter agere.

Atqui homo cum virtute supernaturali jam habet potestatem salutariter agendi.

Ergo ille non eget gratia actuali ut possit salutariter agere.

R. Dist. Maj. Non eget gratia actuali prout haec est elevans, Conc. Prout haec est excitans, Neg.

Contradist. Min. Habet potestatem jam excitatam et determinatam ad hunc actum, Neg. Habet potestatem quae eget excitari et determinari, Conc.

Peccator est adultus qui non habet gratiam sanctifi-
cantem.

Ergo peccator est punitus in theol est adultus
qui hic et nunc non habet gratiam sanctifi-
cantem, utrum necne eam olim habuit.

THESIS III. NON OMNIA OPERA PECCATORUM ET INFIDELIUM SUNT PECCATA. IMMO POTEST HOMO LAPSUS SINE ULLA GRATIA PERFICERE ALIQUA OPERA NATURALITER BONA.

Beraza, pp.285-322.
Lange, pp.41-79.
Mazzella, pp.277-322.
Muncunill, pp.89-103.
Pesch V, pp.69-88.
Pohle-Preuss, pp.50-65; 73-82.

Sicut Pelagiani nimis extollunt naturales potentias hominis, ita Novatores et Jansenistae illas potentias nimis deprimunt. Contra hos ponitur thesis.

Peccator est ille qui amisit gratiam sanctificantem. Gratia sanctificans est donum Dei in anima, de se permanens, quo homo fit justus, filius Dei adoptivus et haeres vitae aeternae.

Fides est virtus supernaturalis qua homo credit omnia esse vera quae revelata sunt a Deo.

Quando quis primo accipit gratiam sanctificantem, accipit etiam varias virtutes supernaturales, et inter illas, fidem, spem et caritatem. Si postea graviter peccat, amittit gratiam sanctificantem et virtutem caritatis. Tamen non omne peccatum expellit fidem et spem. Fides amittitur per incredulitatem; spes per desperationem.

Qui habet fidem vocatur fidelis; qui nomquam habuit, vocatur infidelis; qui habuit et amisit vocatur ~~peccator~~. apostata. Qui habet gratiam sanctificantem, vocatur justus; qui numquam habuit, vocatur infidelis;qui habuit, et amisit vocatur peccator.

Homo lapsus est homo prouti nunc est, post lapsum Adami.

Fere omnes errores contra hanc thesim oriuntur ex falsa notione lapsus Adami et effectus illius lapsus. Vera doctrina haec est: Adam habuit naturam humanam, et consequenter omnes naturales facultates hominis. Insuper habuit quaedam dona praeternaturalia et alia dona supernaturalia. Per peccatum amisit, sibi et nobis, dona cum supernaturalia tum praeternaturalia; non autem amisit dona naturalia.(De Deo Creante, Th.4-8). Homo post lapsum retinet omnes facultates suas naturales. Proinde retinet liberum arbitrium.(Trid. Sess.6, D-B.~~805~~)815

Opus naturaliter bonum, id est quod est conforme rectae rationi et legi naturali. Quosdem ex his actibus ponendi homo habet potentiam cum physicam tum moralem.

Potentia physica consistit in virtute propria voluntatis capacis tales actus producendi. Potentia moralis consistit in absentia magnarum difficultatum quae possent impedire quin tales actus ponantur.

Tres sunt partes probandae:

1) Non omnia opera peccatorum sunt peccata.
2) Non omnia opera infidelium sunt peccata.
3) Homo lapsus sine ulla gratia potest ponere aliquos actus naturaliter bonos.

In prima parte et in secunda asserimus illos homines de facto ponere aliquos actus qui sunt moraliter boni. Non determinamus num illi actus sint salutares necne. Plerumque, et fortasse semper, sunt salutares, eliciti cum gratia actuali.

In tertia parte asserimus potentiam agendi, sed neque asserimus neque negamus ipsum actum. Est in homine potentia physica eliciendi actus non salutares, sed honestos honestati naturali; est etiam potestas moralis quoad actus faciliores.

ADVERSARII

Novatores saeculi 16, Lutherus et alii. Secundum hos natura humana post lapsum Adami est intrinsece corrupta et essentialiter mala, ita ut homo sit incapax boni actus. (D-B,771,772). Hi negant omnes tres partes.

Baius. Juxta illum, natura humana post lapsum est manca et imperfecta, ita ut homo est incapax cujusvis boni nisi habeat fidem et gratiam sanctificantem. Negat tres partes. (D-B. 1035, 1025, 1027, 1037).

Eosdem errores postea docuit Jansenius, et illum secuti sunt Quesnellus, Synodus Pistoriensis, et alii multi.

NOTA

Prima pars, de fide definita.(Trid. Sess.6, D-B.817).
Secunda pars, certa et communis(Cf. Beraza, n.321).
Tertia pars, certa.

PROBATUR PRIMA PARS

Deus non urget homines ad peccata.
Atqui Deus urget peccatores ad aliqua opera.
Ergo aliqua opera peccatorum non sunt peccata.

Major evidens est.
Ad Min. Ad eleemosynas et misericordiam,(Dan4,24); ad poenitentiam,(Jerem.3,12-15; Ezech.18,21; Luc.5,32;13,5).

PROBATUR SECUNDA PARS

Infideles non obligantur ad peccata.
Atqui infideles obligantur ad aliqua opera.
Ergo aliqua opera eorum non sunt peccata.

Major patet.
Ad Min. Obligantur ad aliqua opera legis naturalis. (Vide Rom.2,12-15).

PROBATUR TERTIA PARS

Homo lapsus, sine ulla gratia, habet potentiam physicam et moralem perficiendi aliqua opera naturaliter bona.
Ergo potest sine ulla gratia ea perficere.

Ad Ant. Habet potentiam physicam. Nam habet intellectum quo potest cognoscere saltem nonnulla dictamina legis naturalis; et habet liberum arbitrium, quo potest eligere id quod est honestum.(D-B 815,793).

Habet potentiam moralem. Nam bonum opus aliquando est admodum facile; e.g. salutare amicum, monstrare viam quaerenti etc.

DIFFICULTATES

CONTRA PRIMAM PARTEM

1. Ex Matt.7,18. "Non potest arbor mala bonos fructus facere."
Atqui peccator est arbor mala, et bona opera sunt boni fructus.
Ergo non potest peccator bona opera facere.

R. Dist. Maj. Ita ut arbor nullam habeat libertatem quoad fructus producendos, Conc.
Ita ut arbor habeat libertatem, Neg.
Contradist. Min. Ita ut peccator habeat libertatem quoad actus, Conc.
Ita ut non habeat, Neg.
De hac parabola cf. Fonck, "The Parables of the Gospel," pp.428-431.(3rd Edition)

2. Ex Matt. 6,24 et Luc. 16,13. "Nemo potest duobus dominis servire. Non potestis Deo servire , et mammonae." Unde:
Qui est servus unius non potest servire alteri.
Atqui peccator est servus diaboli.
Ergo non potest servire Deo.
Ergo non potest facere bonum actum.

R. Dist. Maj. Non potest habitualiter servire alteri, Conc.
Non potest unum vel alterum actum producere pro altero, Neg.
Trans. Min.
Dist. lum Cons. Non potest habitualiter, Conc.
Non potest elicere unum vel alterum actum bonum, Neg.

3. Si ulla opera peccatoris essent bona, saltem sacrificia et orationes ejus essent bona.
Atqui ne sacrificia et orationes quidem peccatoris sunt bona (Prov.15,8; 21,27; 28,9; Is.1,14sq.).
Ergo nulla opera peccatoris sunt bona.

R. Dist. Maj. Essent bona, si debito modo fierent, Conc.
Sunt bona, si non debito modo fiunt, Neg.
Contradist. Min.
Vide Ecclesiastic.21,1; 2 Paralip.33,12sq.; Luc.18,13 seq. Sacrificia tunc solum possunt esse Deo grata, si offeruntur ex animo imbuto vera virtute religionis et amore cultus divini. Sacrificia enim significant et exprimunt summam agnitionem divinae majestatis et nostram subjectionem erga eam. Si hi animi sensus absunt, sacrificia sunt signa vacua, inutilia, falsa, abominabilia.

4. Ex S. Augustini "Enchiridio" n.117. "Regnat enim carnalis cupiditas ubi non est Dei caritas." (de Journel, "Enchiridion Patristicum," n.1933).
Atqui in peccatore non est Dei caritas.
Ergo in eo regnat carnalis cupiditas.
Ergo nullus actus ejus bonus est.

R. Dist. Maj. Ita regnat cupiditas ut habeat habituale dominium, Conc.
Ita regnat ut vitiat omnes omnino actus, Neg.
Trans. Min.
Pariter Dist. lum Cons.

5. Secundum S. Augustinum, omne quod sine caritate fit, male fit.
Atqui omnes actus peccatoris fiunt sine caritate.
Ergo omnes male fiunt.
Ergo omnes sunt peccata.

R. Dist. Maj. Omne quod fit sine virtute caritatis, male fit, Neg.
Omne quod fit sine bono impulsu a Deo, Sd.: Male fit in comparatione cum actu salutari, Conc.
Male fit, i.e. peccaminose fit, Neg.
Contradist. Min. Sine virtute caritatis, Conc.
Sine bono impulsu, Neg.
Pariter Dist lum Conc. Male, in comparatione cum actu salutari, Conc.
Peccaminose, Neg.
Explicatio. S. Augustinus includit sub caritate gratiam actualem, i.e., bonum impulsum a Deo. Imo aliquando includit etiam bonum impulsum mere naturalem, in oppositione ad res inferiores, ad concupiscentiam.
(Cf. Tixeront, "Histoire des Dogmes" 2[8], pp.486 sq.).



3. Si ulla opera peccatoris essent bona, saltem sacrificia et orationes ejus essent bona.
Atqui ne sacrificia et orationes quidem peccatoris sunt bona(Prov.15,8; 21,27; 28,9; Is.1,14sq.).
Ergo nulla opera peccatoris sunt bona.

R. Dist. Maj. Essent bona, si debito modo fierent, Conc.
Sunt bona, si non debito modo fiunt, Neg.
Contradist. Min.
Vide Ecclesiastic.21,1; 2 Paralip.33,12sq.; Luc.18,13 seq. Sacrificia tunc solum possunt esse Deo grata, si offeruntur ex animo imbuto vera virtute religionis et amore cultus divini. Sacrificia enim significant et exprimunt summam agnitionem divinae majestatis et nostram subjectionem erga eam. Si hi animi sensus absunt, sacrificia sunt signa vacua, inutilia, falsa, abominabilia.

4. Ex S. Augustini "Enchiridio" n.117. "Regnat enim carnalis cupiditas ubi non est Dei caritas."(de Journel,"Enchiridion Patristicum," n.1933).
Atqui in peccatore non est Dei caritas.
Ergo in eo regnat carnalis cupiditas.
Ergo nullus actus ejus bonus est.

R. Dist. Maj. Ita regnat cupiditas ut habeat habituale dominium, Conc.
Ita regnat ut vitiat omnes omnino actus, Neg.
Trans. Min.
Pariter Dist. lum Cons.

5. Secundum S. Augustinum, omne quod sine caritate fit, male fit.
Atqui omnes actus peccatoris fiunt sine caritate.
Ergo omnes male fiunt.
Ergo omnes sunt peccata.

R. Dist. Maj. Omne quod fit sine virtute caritatis, male fit, Neg.
Omne quod fit sine bono impulsu a Deo, Sd.:
Male fit in comparatione cum actu salutari, Conc.
Male fit, i.e. peccaminose fit, Neg.
Contradist. Min. Sine virtute caritatis, Conc.
Sine bono impulsu, Neg.
Pariter Dist lum Conc. Male, in comparatione cum actu salutari, Conc.
Peccaminose, Neg.
Explicatio. S. Augustinus includit sub caritate gratiam actualem, i.e., bonum impulsum a Deo. Imo aliquando includit etiam bonum impulsum mere naturalem, in oppositione ad res inferiores, ad concupiscentiam.
(Cf. Tixeront, "Histoire des Dogmes" 2^{a}, pp.486 sq.).

6. Ex Joan. 8,34. "Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati."
R. Eadem est ac difficultas 2a.

7. Quando Deus odit aliquem, odit omnia opera ejus.
Atqui Deus odit peccatorem.
Ergo odit omnia opera ejus.

R. Dist. Maj. Quando odit odio absoluto et irrevocabili, Tr.
Odio relativo et revocabili, Neg.
Contradist. Min.

Contra Secundam Partem

8. Ex Rom. 14,23. "Omne quod non est ex fide, peccatum est."
Atqui nullus actus infidelis est ex fide.
Ergo omnis actus ejus est peccatum.

R. Dist. Maj. Omne quod non est ex bona fide, est peccatum, C.
Omne quod non est ex fide theologica, Neg.
Contradist. Min.

9. Ex Heb. 11,6. "Sine fide impossibile est placere Deo."
Atqui ille qui ponit bonum actum placet Deo.
Ergo sine fide impossibile est ponere bonum actum.

R. Dist. Maj. Impossibile est esse persona grata Deo, Conc.
Impossibile est ponere actum qui placet Deo, N.
Contradist. Min.

10. Ex Tit. 1,15. "Omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum." Unde:
Cui nihil est mundum, nullus actus est sine peccato.
Atqui infidelibus nihil est mundum.
Ergo infidelibus nullus actus est sine peccato.

R. Dist. Maj. Cui nulla omnino res est munda, Conc.
Cui nullus cibus est mundus, Subdist.
Nullus actus comedendi est sine peccato, C.
Nullus alius actus, Neg.
Contradist. Min. Infidelibus nulla omnino res est munda, Neg.
Nullus cibus, Conc.

Explicatio. Apostolus hic loquitur de falsis doctoribus qui sub specie asceseos et continentiae docent a multis rebus esse abstinendum. Contra hanc sententiam asserit nihil in se esse immundum; cuncta sunt munda iis qui ipsi mente et affectu mundi sunt et rebus bene et sancte utuntur. Cibus per se non faciebat Judaeos immundos, sed sola inobedientia et contemptu legis fiebant immundi. (Cf. Rom. 14,20.)

Ergo omnes cibi etiam prohibiti Veteri Lege, mundi sunt mundis, i.e., fidelibus; coinquinatis vero et infidelibus nihil est mundum, sc., iis qui per cordis immunditiam et infidelitatem creaturis vel abutuntur, vel, quasi essent impuri, non utuntur, nihil est mundus.(Ita Knabenbauer in h. l.)

11. S. Augustinus saepe dicit omnia infidelium opera esse peccata.
R. S. Augustinus potuit errare circa hoc punctum.(D-B1320.)
R. Potest tamen benevole interpretari. Ergo:
Dist. Assertum. Peccata, i.e. opera defectuosa, Conc.
Peccat formalia et culpabilia, Neg.
Explicatur distinctio. Omne opus quod non est secundum mensuram cui conformari debet, omnis actio seu operatio carens debito ordine ad finem, peccatum dici potest. Quidquid autem aliquo modo non est ex fide, deficit a norma supernaturali, secundum quem in praesenti ordine operari debemus, potest vocari peccatum.(Cf. Beraza pp.300-303.)

CONTRA TERTIAM PARTEM

12. Post lapsum, natura humana est damnata.
Atqui natura damnata non potest de se facere aliquid bonum.
Ergo natura humana post lapsum non potest de se facere aliquid bonum.

R. Dist. Maj. Est damnata, i.e., amisit jus ad vitam aeternam, Conc.
Amisit facultates naturales, Neg.
Contradist. Min.

13. Ex Gen. 6,5. "Cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore."
Ergo omnia opera erant mala.

R. Dist Ant. Cuncta absolute, Neg.
Cuncta moraliter, Conc.

14. Ex Arausicano Secundo(D-B 195). "Nemo habet de suo nisi mendacium et peccatum."
Ergo de se nemo potest elicere actum bonum.

R. Dist. Ant. In ordine ad vitam aeternam, Conc.
In ordine naturali, Neg.
Dist. Cons. De suo non potest elicere actum salutarem, C.
Actum naturaliter honestum, Neg.

THESIS IV. IN HOC STATU HOMO SINE AUXILIO GRATIAE NON POTEST DIU SERVARE TOTAM LEGEM NATURALEM, NE QUOAD SUBSTANTIAM QUIDEM.

Beraza, pp.248-264.
Lange, pp.79-101.
Mazzella, pp.242-268.
Muncunill, pp.106-110.
Pesch V, pp.88-93.
Pohle-preuss, pp.65sq.

In thesi secunda agebatur de actu, sc. salutari, ad quem ponendum semper requiritur gratia. In tertia, quaestio erat de actu naturali, qui non indiget gratia ut conprincipio. Nunc vero loquimur de actibus naturalibus, positis ob motiva mere naturalia, qui tamen poni nequent sine gratia. Qualis gratia sit necessaria, non decernimus.

In hoc statu, i.e. in statu naturae lapsae. Hic status breviter describitur in thesi praecedenti et in praenotandis Th. 4, De Deo Creante.

Lex naturalis est participatio quaedam legis aeternae in creatura rationali promulgata; lex autem aeterna est voluntas in Deo ordinem moralem a creatura rationali observari iubens et perturbari vetans. Tota lex naturalis, ut intelligitur in thesi, est complexus praeceptorum gravium, quae cognoscuntur ab adultis quoad usum rationis plene evolutis. Observatio horum praeceptorum importat difficultatem; violatio autem supponit peccatum mortale.

Praecepta dupliciter implere possunt;

1) Quoad modum, ita ut actus sit salutaris.
2) Quoad substantiam, ita ut opus sit moraliter bonum et peccatum evitetur. Loquimur de impletione tali, nam ex thesi secunda constat actum salutarem sine gratia poni non posse.

Diu, per longum tempus, e.g. per plures annos, vel donec occurat series tentationum gravium.

Impotentia, hominis ad diu servandum totam legem naturalem sine gratia est aut physica aut moralis.

Impotentia physica consistit in hoc, quod in viribus naturaw humanae deest completa facultas ad implenda omnia praecepta legis. Talem impotentiam non defendimus.

Impotentia moralis dividitur in impotentiam moralem secundum quid et impotentiam moralem simpliciter.

Impotentia moralis secundum quid est difficultas maxima in evitandis tentationibus et in observandis praeceptis legis naturalis quando urgent.

Impotentia moralis simpliciter consistit in eadem maxima difficultate et in scientia Dei consequenti ad actiones humanas quod haec difficultas no n semper superabitur. Hanc scientiam Dei cognoscimus ex revelatione. Defendimus impotentiam moralem simpliciter hominis sine auxilio gratiae observandi diu totam legem naturalem. In aliis verbis, si consideramus rem in abstracto, forte homo posset sine ulla gratia diu servare totam legem

naturalem, sed cognoscimus ex revelatione nullum hominem sine gratia de facto observaturum esse totam legem naturalem. Ergo, quia scientia Dei est infallibilter vera, possum dicere de quovis homine, eum de facto non posse diu observare totam legem naturalem sine gratia. Praescientia divina non cogit hominem ad definitum modum agendi, sed Deus praevidet quid de facto homo faciet.

Radix difficultatis in observatione totius legis naturalis est concupiscentia quae est appetitus sensitivus in quantum tendit in bonum sensibile illicitum aut ante aut contra judicium rationis. Pro pleniore explicatione concupiscentiae, cf. De Deo Creante, th. 5.

ADVERSARII

Pelagiani, qui tribuunt naturae humanae impeccantiam sine gratia interna; admittunt quidem externam.

NOTA

Saltem certa et communis.

PROBATIO

Secundum Conc. Trid., Sess. 6, iustus habet impotentiam moralem simpliciter per totam vitam observandi totam legem naturalem sine gratia. (D-B. 806, 832).

Ergo habet impotentiam moralem simpliciter diu observandi totam legem naturalem sine gratia.

Ergo quivis homo habet eandem impotentiam.

Ad Antecedens.

Adest aut impotentia physica vel moralis simpliciter ("victores esse non possunt"). Atqui non est impotentia physica, nam in eadem sessione asseritur libertas arbitrii (D-B. 793, 815). Ergo est impotentia moralis.

Ad Primum Consequens.

Ratio impotentiae per totam vitam sita est in "pugna quae superest cum carne, cum mundo, cum diabolo."

Atqui eadem est ratio si justus diu vivit, i.e., per plures annos vel donec occurat series tentationum gravium.

Ad Ultimum Consequens.

Peccator habet eandem pugnam cum carne, cum diabolo et cum mundo ac justus, sive in aliis verbis aeque habet concupiscentiam

DIFFICULTATES

1. Si vires naturae sufficiunt ad observandum legem naturalem, non requiritur gratia.

Atqui juxta Rom. 2, 14, vires naturae sufficiunt.

Ergo.

R. Trans Maj.

Neg. Min.

Explicatio. Quando Paulus dicit Gentes, quae legem non habeant, naturaliter ea quae legis sint facere, non vult

dicere eos facere sine auxilio gratiae, sed sine auxilio Legis Mosaicae; in aliis verbis dicit eos aliquando (Latine, cum; Gr. ὅταν) ope luminis naturalis rationis facere "ea quae legis sunt," i.e. praecepta legis naturalis. S. Paulus hic nil affirmat nec negat de necessitate gratiae. Haec explicatio sola consona est cum contextu. Cf. Cornely in h.l., necnon Prat, "La Théologie de Saint Paul," I[4], pp. 270 sq.

2. SS. asserit legem naturalem habere proportionem cum natura, e.g., Deut. 30, 11.
Ergo potest viribus naturalibus observari.

R. Dist. Anteced. SS. Asserit legem naturalem posse facile intelligi, Conc.
Asserit legem naturalem posse sine gratia observari, Neg. Cf. vv. sqq.
Neg. Cons.

3. Deus impossibilia non jubet.
Atqui Deus jubet servare totam legem naturalem.
Ergo observatio totius legis non est impossibilis.

R. Conc. Maj.
Dist. Min. Jubet servare sine gratia, Neg.
Jubet servare cum gratia, Conc.
Pariter Dist. Cons.

4. Atqui per solas vires naturae debet esse possibilia observantia legis naturalis. Probo.

Haec observatio praeciperetur homini, etiam in statu naturae purae.
Atqui in illo statu non daretur gratia.
Ergo.

R. Conc. Maj.
Dist. Min. In illo statu non daretur gratia, sed loco ejus daretur auxilium naturale, quo observatio legis fieret possibilis, Conc.
Nulla daretur gratia, nullumque auxilium naturale, Neg.
Explicatio. In statu naturae purae haberentur ea quae homini in ordine physico, ethico et finali deberantur, i.e., ea quae sive constitutive, sive consecutive, sive exigitive ad naturam humanam pertinerent. Naturae purae deberetur posse observare legem; ad posse autem requiriretur auxilium, quod uti debitum naturae esset naturale.

5. Thesis nil probat, nam nimis probat. Probo.

CC. et PP. exigunt gratiam ad observandam legem naturalem, aeque ac exigunt eam ad actus salutares.
Atqui ad actus salutares gratia est necessaria necessitate physica.
Ergo etiam ad observationem legis naturalis.

R. Neg. antecedens et rationem additam.
Dist. Maj. Dicunt gratiam esse necessariam ad utrumque, Conc.
Dicunt gratiam aequo modo esse necessariam, N.
Conc. Min.
Pariter Dist. Consequens.
Explicatio. Quando loquuntur de necessitate gratiae ad implendam legem, non adhibent particulas illas, ut expedit, sicut oportet, quas adhibere solent quando docent necessitatem gratiae ad salutariter agendum.

vel respondetur 2°.
Dist. Maj. Et haec locutiones generales diversimode sunt accipiendae pro natura rei de qua agitur, C.
Non sunt diversimode accipiendae, Neg.
Explicatio. Actus salutares, utpote intrinsice supernaturales, ex ipsa natura rei exigunt gratiam, aliter effectus superaret causam. Ad observationem autem legis naturalis quoad substantiam, voluntas est principium proportionatum, licet gratia omnino requiritur ut hoc principium reducatur in actum.

THESIS V. GRATIA EST ADEO GRATUITA UT HOMO NEQUEAT SOLIS VIRIBUS NATURAE EAM MERERI NEQUE DE CONDIGNO NEQUE DE CONGRUO, NEQUE EAM IMPETRARE, NEQUE AD EAM SESE POSITIVE DISPONERE.

Beraza, pp. 327-363.
Lange, pp. 121-153.
Mazzella, pp. 504-518.
Muncunill, pp. 39-55.
Pesch V, pp. 120-133.
Pohle-Preuss, pp. 131-152.

Meritum in concreto est opus propter quod retributio debetur, seu est opus meritorium.

Meritum in abstracto est illud in opere quod est ratio cur retributio debetur. Meritum in abstracto est formaliter meritum.

Meritum potest esse bonum aut malum, sed meritum malum communiter vocatur demeritum. Retributio boni meriti est remuneratio seu praemium; retributio mali meriti est punitio. Loquimur de bono merito.

Meritum est condignum quando praemium debetur stricto sensu, nempe ex justitia. Est congruum quando praemium debetur lato sensu, nempe decet praemium dari.

Ad meritum condignum tria requiruntur:-

1) Ut opus dirigatur ad commodum alterius.

2) Ut opus aequivaleat praemio, aequivalentia non mathematica, sed morali.

3) Ut adsit contractus aut promissio de praemio.

Prima conditio et secunda simul constituunt meritum in actu primo. Tres simul, meritum in actu secundo.

Si valor operis notabiliter deficit a valore praemii, habetur meritum congruum.

Impetratio est petitio efficax. Id quod petitur datur ex misericordia.

In genere, dispositio positiva ad aliquam formam est idoneitas ad illam formam. In ordine morali, positive disponere se ad aliquod donum est reddere se dignum illo dono. Dispositio positiva in ordine morali non multum differt a merito congruo.

Negative se disponere est removere impedimenta.

Dicimus gratiam non dari nobis propter illa opera quae cum gratia facimus, nam illa opera habent valorem ex meritis Christi. Homo potest cum gratia actuali impetrare et etiam mereri de congruo alias gratias actuales. Cum his gratiis potest sese positive disponere ad gratiam sanctificantem. Trid. Sess. 6. (D-B. 797, 798). Cum gratia sanctificante, potest mereri vitam aeternam. Trid. Sess. 6.(D-B. 842). Cf. Th. XII.

Probantur Partes 1, 2 & 3.

Ex S. Augustino, cujus sententia approbata est ab Ecclesia. Cf. "Enarrationes in Psalmos." In Ps. 70, enarr. 2, n. 1 (de Journel) n. 1473).

"Gratia gratis data est. Nam nisi gratis esset, gratia non esset. Porro autem si propterea gratia est, quia gratis est, nihil tuum praecessit ut acciperes. Nam si aliqua bona opera tua praecesserunt, pretium accepisti, non gratis: pretium autem, quod nobis debebatur supplicium est." Unde;

Gratia gratis datus.

Atqui non gratis daretur si passet solis viribus naturae mereri aut impetrari.

Ergo non potest solis viribus naturae mereri aut impetrari

Alii loci inveniri possunt apud de Journel in Indice Theologico, s. v., "Gratuitas (gratiae actualis), n. 340.

Sunt quattuor partes:-

1) Homo non potest solis viribus naturae gratiam mereri de condigne.

2) Neque mereri de congruo.

3) Neque gratiam impetrare.

4) Neque ad gratiam se positive disponere.

ADVERSARII

Semipelagiani (cf. Tixeront, "Histoire des Dogmes" III[7], pp. 274-313).

Aliqui Scholastici antiqui negabant partem quartam.

NOTA

Prima pars est de fide ex Conc. Arausicano II (D-B. 200, 191, 176-~~191~~).179.

Aliae partes sunt saltem certae.

PROBANTUR PARTES 1, 2 ET 3.

Ex Rom. 11, 6. "Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia." Unde:

Quidquid homo potest solis viribus naturae mereri aut impetrare, datur ex operibus.

Atqui gratia non datur ex operibus.

Ergo gratia non est aliquid quod homo potest solis viribus naturae mereri aut impetrare.

PROBATUR QUARTA PARS.

Positive se disponere ad gratiam est reddere se dignum gratia.

Atqui homo non potest, solis viribus naturae, reddere se dignum gratia.

Ergo homo non potest, solis viribus naturae, positive se disponere ad gratiam.

Ad Min. Quia in ordine ad salutem omnis dignitas venit ex meritis Christi; et merita Christi non applicantur nobis nisi per gratiam.

DIFFICULTATES

CONTRA 1 ET 2 PARTES

1. Homo obtinent primam gratiam actualem quia bene agit solis viribus naturae.

Atqui qui obtinet gratiam quia bene agit, meretur gratiam.

Ergo homo solis viribus naturae meretur primam gratiam actualem.

R. Neg. Maj.

2. Probo Maj. ex illo dicto apud theologos recepto: "Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam." Unde:-
Homo obtinet gratiam quia bene agit in quantum potest.
Atqui ante primam gratiam actualem, bene agere in quantum potest est bene agere solis viribus naturae.
Ergo homo obtinet primam gratiam actualem quia bene agit solis viribus naturae.

R. Dist. Maj. Homo qui bene agit obtinet gratiam, Conc.
Homo obtinet gratiam quia bene facit, Subdist.
Si cum gratia bene facit, Conc.
Si sine gratia, Neg.
Conc. Min,
Pariter Dist. Cons. Homo qui bene agit, Conc.
Quia bene agit, Neg.
Explicatio. Deus vult omnes homines salvos facere, ac proinde paratus est dare omnibus gratiam proxime sufficientem. Si aliquando non dat, obstaculum est mala voluntas hominis. Homo bene agendo removet obstaculum, et sic sese negative disponit ad gratiam.

3. Si Deus non dat gratiam propter merita naturalia, Deus est acceptor personarum.
Atqui Deus non est acceptor personarum.
Ergo dat gratiam propter merita naturalia.

R. Neg. Maj.
Explicatio. Saepe dicitur in Scripturis Deum non esse acceptorem personarum. Ex collatione locorum significatio patet. Acceptor personarum est judex qui non exercet eandem justitiam erga omnes. Vid. Deut. 10, 17.; 2 Paral. 19, 7; Acts 10, 34.

4. Ex parabola talentorum, Mt. 25, 15, homo dedit talenta "unicuique secundum propriam virtutem." Unde:-
Deus dat talenta secundum propriam virtutem hominis.
Atqui talenta sunt gratiae, et propria virtus significat bona opera naturalia.
Ergo Deus dat gratias secundum bona opera naturalia.

R. Transeat Maj.
Nego Min.
Explicatio:- Talenta sunt gratiae, dona spiritualia et dona naturalia sicut spes, doctrina, etc. Secundum Knabenbauer citans Maldonatum, Christus adhibuit verba "unicuique secundum propriam virtutem" non ad aliquid in parabola significandum, sed ad explendum parabolae narrationem ex hominum consuetudine. Homines enim non solent bona sua servis temere et aequaliter distribuere, sed pro cujusque virtute et fide; ideoque Christus adhibuit haec verba, non quod Deus secundum propriam cujusque virtutem gratiam distribuit, (in eo enim parabola non est ad rem significandam accomodata) sed quia id homines facere solent et

voluit Christus in parabolis vero similia et fieri solita narrare, etiam nihil ad finem parabolae pertinerent. Haec solutio approbatur a Fonck. Cf. Fonck, "The Parables of the Gospel" p. 541. Cf. etiam Fonck, p. 646.

Doctrina quam docet Christus in parabola connectitur cum monitu in v. 13, "vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam," sc. homo debet uti donis Dei in servitutem Dei utrum haec dona (talenta) naturalia et supernaturalia sunt parva an magna, quia Deus est judex operum hominis.

CONTRA TERTIAM PARTEM

5. Ex Luc. 11,9. "Petite et dabitur vobis." Unde:
Qui petit, impetrat gratiam.
Atqui homo potest solis viribus naturae petere.
Ergo potest solis viribus naturae impetrare gratiam.

R. Dist. Maj. Qui petit salutariter, Conc.
Qui petit non-salutariter, Neg.
Contradist. Min.

Q83

6. Ex St. Thoma 2a 2ae, a 16, C. "Orationem peccatoris ex bono naturae desiderio procedentem Deus audit." Unde:
Oratio ex bono naturae desiderio procedens impetrat gratiam.
Atqui talis oratio est ex solis viribus naturae.
Ergo.
R. Dist. Maj. Oratio ex bono ddsiderio cum gratia, Conc.
Ex bono desiderio sine gratia, Neg.
Contradist. Min.
Explicatio. St. Thomas intelligit bonam voluntatem cum gratia actuali, ut patet ex art. 15, ad lum.

CONTRA QUARTAM PARTEM

7. Ex Zach. 1, 3. "Convertimini ad me, ait Dominus exercituum; et convertar ad vos." Et Jac. 4, 8. Appropinquate Deo et appropinquabit vobis." Unde:
Deus convertit se ad hominem quia homo prius convertit se ad Deum.
Atqui conversio Dei ad hominem est collatio gratiae.
Ergo Deus confert gratiam quia homo prius convertit se ad Deum.

R. Dist. Maj. Deus convertit se ad hominem per donationem primae gratiae actualis, quia homo prius convertit se ad Deum, Neg.
Deus convertit se ad hominem per donationem gratiae sanctificantis, Subdist.
quia homo prius se convertit ope gratiae actualis, Conc.
quia homo prius se convertit sine gratia actuali, Neg.
Contradist. Min. Est collatio gratiae sanctificantis, Conc.
Est collatio gratiae actualis, Neg.
Pariter Dist Cons.

THESIS VI. GRATIAM SALTEM REMOTE SUFFICIENTEM DAT DEUS (1) OMNIBUS JUSTIS, UT POSSINT IMPLERE MANDATA ET SIC IN JUSTITIA MANERE, (2) OMNIBUS PECCATORIBUS UT POSSINT AD JUSTITIAM REDIRE, (3) OMNIBUS INFIDELIBUS ADULTIS, UT POSSINT AD FIDEM ET JUSTITIAM VENIRE.

Beraza, pp. 363-409.
Lange, pp. 525-557.
Mazzella, pp. 518-581.
Muncunill, pp. 329-368.
Pesch V, pp. 185-194.
Pohle-Preuss, pp. 152-187.

Deus "omnes homines vult salvos fieri" (1 Tim. 2, 4). Proinde dat illa auxilia quibus possunt obtinere et retinere gratiam sanctificantem.

Gratia sufficiens ad aliquem actum est illa quae dat animae potentiam physicam et moralem perficiendi illum actum. Dividitur in gratiam remote sufficientem et gratiam proxime sufficientem.

Gratia proxime sufficiens est illa quae sine alia sufficit immediate ad ipsum actum.

Gratia remote sufficiens est illa ex cujus bono usu pendet collatio gratiae proxime sufficientis. Gratia remote sufficiens ad actum est proxime sufficiens ad actum praevium. Si ponatur praevius actus, dabitur gratia proxime sufficiens ad actum sequentem. Persaepe actus praevius est oratio.

Quid sit justus et quid peccator, patet ex Thesi 3.

Non est vera difficultas quoad justos. Neque magna difficultas quoad peccatores ordinarios, neque quoad infideles positivos. Sed est difficultas satis magna quoad peccatores obstinatos et quoad infideles negativos.

Peccator communis, seu ordinarius, est ille qui retinet timorem Dei et spem vitae aeternae, et facit aliquos conatus bene agendi.

Peccator perfecte obstinatus est ille qui nullum retinet timorem Dei neque spem vitae aeternae, et nullos facit conatus bene agendi.

Obstinatio perfecta invenitur in diabolo et in animabus damnatis. Peccatores obstinati hujus mundi sunt imperfecte obstinati, et occupant omnes gradus inter peccatores communes et perfecte obstinatos.

Obstinatio includit excaecationem mentis et obdurationem cordis.

Excaecatio est caecitas intellectus qua homo fit plus minusve incapax percipiendi ea quae pertinet ad vitam aeternam. Provenit ex habitu nimium aestimandi bona hujus vitae.

Obduratio est insensibilitas voluntatis ad bonos impulsus. Provenit ex habitu resistendi impulsus gratiae.

Excaecatio et obduratio (vel induratio) aliquando in Sacra Scriptura Deo adscribuntur, (cf. Jo. 12, 40; 2 Thess. 2, 11). Hoc significat (1) Deum peccatoribus negare uberius auxilium, vel (2) Deum subtrahere aliquid divinae protectionis,

quo peccatores exponuntur insidiis diaboli, vel (3) Deum esse causam occasionalem, ita ut homines sponte sua in peccatis sese indubant (cf. Job 24, 23; Eccl. 8,11). Ergo Deus potest dici causa indurationis, non quidem directe, positive, officienter, sed permissive, negative, occasionaliter.

Infidelis negativus est ille cui nunquam sufficienter proposita est revelatio Christiana.

Infidelis positivus est ille qui rejecit illam revelationem sufficienter propositam.

Tres sunt partes, ut in thesi.

ADVERSARII

Contra primam partem: Lutherus, Calvinus et Jansenistae.

Contra secundam partem: Quoad peccatores communes, Jansenistae. Quoad obstinatos, aliqui Catholici.

Contra tertiam partem: Calvinistae et jansenistae. Dantur etiam sat multi Catholici qui docent Deum dare infidelibus ndgativis auxilia ad bene agendum, sed non semper dare illis gratias vere supernaturales.

NOTA

Prima pars, de fide definita ex Conc. Arausicano(D-B. 200).

Secunda, prouti stat, includens peccatores obstinatos, communior et probabilior. Quodd peccatores communes est certa et communis.

Tertia, prouti stat, includens infideles negativos, communior et probabilior. Quoad infideles positivos, est certa et communis.

PROBATUR PRIMA PARS.

Ex 1 Cor. 10, 13. "Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere." Unde:

Deus dat omnibus justis auxilium ut possint tentationes vincere.

Atqui auxilium Dei quo possunt tentationes vincere est gratia qua possunt mandata implere.

Ergo Deus dat omnibus justis gratiam ut possint mandata implere.

PROBATUR SECUNDA PARS

Ex Ezech. 33, 11. "Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua et vivat." Unde:

Deus dat omnibus peccatoribus gratiam qua possint converti a via sua et vivere.

Atqui converti et vivere est redire ad justitiam.

Ergo.

Ad Maj. Deus sincere vult conversionem peccatoris; et sine gratia conversio est impossibilis.

PROBATUR TERTIA PARS.

Ex 1 Tim. 2, 4. Deus "omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire." Unde:

Si Deus sincere vult omnes homines sine ulla exceptione salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, dat omnibus infidelibus gratiam ut possint ad fidem et justitiam venire.

Atqui sincere vult omnes homines sine ulla exceptione salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire.

Ergo dat omnibus infidelibus gratiam ut possint ad fidem et ad justitiam venire.

non

Ad Maj. Nam Deus sincere vult illos facere id quod non possunt facere. Ergo si sincere vult, dat potentiam faciendi.

Ad Min. Universalitas hujus voluntatis constat ex rationibus ab Apostolo datis. 1) Quia unus est Deus omnium, et 2) quia unus est omnium Salvator Homo Christus Jesus, Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus (vv. 5 et 6). Ergo quicumque creati sunt a Deo et quicumque redempti sunt ut homines per hominem Jesum, ex Dei voluntate ad salutem destinantur. (Cf. 1 Jo. 2, 2).

DIFFICULTATES

CONTRA PRIMAM PARTEM

1. Deus non dedit Petro gratiam contra tentationem negandi Dominum.

Atqui Petrus erat justus.

Ergo Deus non dat omnibus justis gratiam contra tentationes.

R. Dist. Maj. Non dedit gratiam efficacem, Conc. Non gratiam saltem remote sufficientem, Neg. (Vide Matt. 26, 41).

Conc. Min.

Dist. Cons. Non semper dat efficacem, Conc. Non semper dat sufficientem, Neg.

2. Atqui Deus nullam omnino gratiam dedit Petro contra illam tentationem.

Ergo manet difficultas.

Probo. Aliqui patres dicunt Petrum nullam omnino gratiam accepisse.

Atqui si Petrus non accepit, Deus non dedit.

Ergo Deus nullam omnino dedit.

R. Dist. Maj. Petrus non accepit, i.e., rejecit, Conc. Non accepit, i.e., non erat in Petro gratia actualis contra illam tentationem, Neg.

Contrad. Min.

3. Ex Jo. 13, 36. "Quo ego vado, non potes me modo sequi." Unde:

Qui non potest sequi Christum, non habet gratiam qua potest in justitiam manere.

Atqui Petrus non potuit sequi Christum.

Ergo.

R. Dist. Maj. Qui non potest sequi Christum in servandis mandatis, Trans. Qui non potest sequi Christum in martyrio, Subd. Si datur necessitas martyrii, Conc. Si non datur necessitas, Nego.

CONTRA SECUNDAM PARTEM

4. Quos Deus indurat, illis non dat gratiam.
Atqui aliquos peccatores Deus indurat. (Rom. 9, 18).
Ergo illis non dat gratiam.

R. Dist. Maj. Quos Deus indurat positive et efficienter, Trans. Quos indurat negative et permissive, Neg.
Contradist. Min.

5. Ex Rom. 9, 13. Deus odio habuit Esau.
Ergo illi non dedit gratiam.

R. Dist. Ant. Odio relativo, relate ad majorem dilectionem erga Jacob, Conc. Odio absoluto, Neg.
Explicatio. In Sacra Scriptura verbum "Odium habere" (μισεῖν), interdum comparative adhibetur, praesertim ubi verbo "diligere" (ἀγαπᾶν) opponitur. In his casibus non significat aversionem proprie dictam, sed minorem amoris gradum. Praeterea in textu, nulla est quaestio de gratia interna sed de electione ad haereditatem patris et ad patriarchatum populi electi.

6. Ex Heb. 12, 17. Esau quaesivit poenitentiam et non potuit obtinere.
Ergo non potuit obtinere gratiam.

R. Esau quaesivit poenitentiam quoad jura haereditaria quae Jacob vendiderat. Ita Fillion in h. l. Sed cf. Zorell s.v. μετάνοια

7. Ex 2 Mac. 9, 13. Orabat Antiochus, sed non potuit invenire gratiam.
R. Orabat pro liberatione a morbo, non pro remissione peccatorum.

8. Sunt quaedam peccata quae Deus non remittit.
Ergo qui habet haec peccata, non accipit gratiam poenitentiae.

R. Remissio est valde difficilis, et raro fit; non quia gratia non datur, sed quia peccatores nolunt converti.
Sequuntur nonnulla ex his peccatis.

9. Ex Heb. 6, 4-6. "Impossibile est enim," etc.

R. Non habent dispositionem rectam. Cf. "rursum crucifigentes sibinetipsis filium Dei." Agitur de Judaeo-Christianis, qui post fidem collatam et post dona maxima supernaturalia in apostasiam inciderunt. Hinc aequivalenter approbant crucifixionem Jesu. Periculum est impoenitentiae finalis, nam voluntarie et post notitiam claram ab Eo, Qui mortuus est ut eos salvaret, se sejunxerunt.

10. Ex Heb. 10, 26. "Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur nobis hostia."

R. Sensus est: Si incidimus in apostasiam non relinquitur nobis hostia. Non hostia levitica, quia abrogata est; non Christus, quia illum rejecimus. Non negatur apostatas posse per gratiam redire ad Christum.

11. Ex Matt. 12, 31b. "Spiritus autem blasphemia non remittetur."

R. Quale sit hoc peccatum constat ex v. 24 et ex Mc. 3, 22-30. Consistit in eo quod ii qui videbant opera Christi clare miraculosa, ob invidiam, odium vel alia motiva mala, ea daemonio attribuerunt. Non dicitur de hoc peccato esse irremissibile, sed"non remittetur." Si misericordiae Dei non repugnat aliquos mori in statu peccati mortalis, a fortiori non repugnat in exemplis allatis.

12. Aliqui patres dicunt Deum, post numerum peccatorum praefinitum in casu uniuscujusque peccatoris, non amplius dare veniam.
Ergo non amplius dat gratiam.

R. Pauci patres id dicunt, et hi nimis severe de peccatoribus loquuntur, sicut hodie affirmant aliqui salvatos esse paucos.

13. Nostra doctrina inducit homines ad liberius peccandum, quia semper dat spem conversionis.
R. Nostra doctrina semper dat spem conversionis quia de facto, dum peccator vivit, semper adest spes conversionis et salutis, sed non certitudo. Non licet falsam doctrinam docere, eo fine ut homines sancte vivant. Contraria opinio ducit ad desperationem, quia docet certam damnationem hominis adhuc viventis.

CONTRA TERTIAM PARTEM

14. Ex Trid. Sess. 6, (D-B. 795).
Qui nondum renascuntur in Christo, nullam accipiunt gratiam.
Atqui infideles nondum renascuntur in Christo.
Ergo nullam accipiunt gratiam.

R. Nego Majorem!!!

15. Probo. Qui nondum renascuntur, non recipiunt beneficium mortis Christi.

R. Dist. Assertum. Non recipiunt illud beneficium quod consistit in regeneratione, Conc. Non recipiunt illud beneficium quod consistit in gratia actuali, Neg.

16. Non accipiunt gratiam actualem, Et probatur ex Trid. Sess.6, (D-B. 801). Unde:
Fides est initium salutis.
Atqui non conceditur gratia ante initium salutis.
Ergo non ante fidem.

R. Dist. Maj. Initium fidei est initium salutis, Conc. Perfecta fides est initium salutis, Neg.
Trans. Min.
Dist. Cons. Non conceditur gratia ante perfectam fidem,N. Ante initium fidei, Trans.
Explicatio. Quaestio est de gratia elevanti. Collatio gratiae elevantis est initium fidei et initium salutis. Aliqui theologi docent gratiam pure medicinalem dari ante initium fidei. Gratia certe datur ante virtutem fidei. (D-B. 1522).

17. Ex Act. 14, 15. Deus "in praeteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas."
Ergo non dedit eis gratiam.

R. Dist. Ant. Ingredi vias suas sine lege Dei positiva et sine revelatione supernaturali, Conc. Sine lege naturali et sine gratia, Neg. Cf. v. 16.

Explicatio. Homo sequitur viam suam quando sequitur viam quam cognovit per rationem naturalem.(Rom. 2, 14 et 15). "Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam" qua potest pervenire ad fidem.

THESIS VII. DATUR IN HOC ORDINE GRATIA VERE ET PURE SUFFICIENS AD SALUTARITER AGENDUM.

Beraza, pp. 414-427.
Lange, pp. 408-424.
Mazzella, pp. 330-351.
Muncunill, pp, 202-210.
Pesch V, pp. 133-141.

Tractata natura, necessitate, gratuitate et distributione gratiae actualis, nunc venit consideranda ejus habitudo ad actum liberum.

Gratia vere sufficiens illa est quae omnes vires necessarias ad actum supernaturalem tribuit.

Gratia pure sufficiens ea est quae non connectitur cum actu salutari.

Gratia efficax ea est quae connectitur cum actu salutari.

ADVERSARII

Novatores saec. XVI, sicut Lutherus et Calvinus, qui docebant in praesenti statu naturae lapsae nullam dari gratiam sufficientem, quae simal non sit efficax.

Jansenius qui distinguit inter gratiam magnam et gratiam parvam. Illa quia est major, vincit concupiscentiam vocaturque victrix. Haec quia minor est, vincitur a concupiscentia, vocaturque victa. Inter delectationem coelestem (gratiam) et delectationem terrenam (concupiscentiam), homo semper eligit majorem. Jansenius etiam distinguit inter potentiam absolutam et potentiam relativum. Potentia absoluta ea est quae competit gratiae, spectata solummodo ejus natura, et praecisis circumstantiis subjecti cui conceditur, maxime oppositae delectationi concupiscentiae. Potentia relativa ea est quae competit gratiae, habita ratione circumstantiarum, praesertim concupiscentiae, quae hic et nunc in eodem subjecto coexistit.

DIVISIO

Thesis habet duas partes:

1. Datur in praesenti statu gratia sufficiens ad operandum, quae tamen non operatur.(Gratia pure et absolute vere sufficiens).

2. Per hanc gratiam sufficientem non tantum datur potentia absoluta agendi, sed etiam relativa. (Est gratia pure et relative vere sufficiens).

NOTA

Quoad utramque partem thesis est saltem certa et communis.

PROBATIO

Ex Matt. 11, 21. "Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida; quia si in Tyro et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent. Cf. Matt. 23, 37; Act. 7, 51.

Unde arguitur:

Gratia pure et absolute sufficiens ea est quae vires omnes necessarias tribuit ad salutariter agendum quin effectus supernaturalis sequatur.

Atqui talis gratia datur in hoc ordine.

Ergo datur in hoc ordine gratia pure et absolute vere sufficiens.

Ad Minorem.

Christus increpat incolas Corozain et Bethsaida, quia quamvis apud eos patravisset virtutes(δυνάμεις, miracula), poenitentiam non egissent. Virtutes haec fuerunt gratiae externae, Sed Christus implicite affirmat incolas accepisse gratiam internam actualem, quia sine ea non potuissent poenitentiam agere, i.e., ponere actus salutares. His stabilitis arguimus:

Effectus salutares non secuti sunt. Ergo gratia data fuit pure sufficiens. Atqui eadem gratia saltem aliis profuisset, sc., incolis Tyri et Sidonis, Ergo fuit gratia absolute vere sufficiens.

Praeterea haec gratia fuit relative vere sufficiens, i.e., sufficiens incolis Corozain et Bethsaida in eorum circumstantiis. Christus enim non debuit eos increpare, si Deus non dedisset eis potentiam salutariter agendi in eorum adjunctis.

N. B. Hac unica probatione probatur duplex pars.

DIFFICULTATES

1. S. Augustinus docet gratiam interiorem numquam carere effectu.
Atqui, si ita est, non datur gratia vere et pure sufficiens.

R. Dist. Maj. S. Augustinus docet gratiam efficacem numquam carere effectu, Conc. docet gratiam omnem numquam carere effectu, N.

Contradist. Min. Si ita est, i.e., si gratia efficax ~~non~~ non caret effectu, non datur gratia vere et pure sufficiens, Neg. si nulla gratia caret effectu, Conc.

~~Explicatio. Explicatio: Potestia antecedens oritur ex praesentia auxilii~~

2. Gratia vere et pure sufficiens, secundum nos, dat potentiam agendi salutariter.

Atqui, juxta Augustinum, sola gratia efficax dat potentiam agendi salutariter.

Ergo doctrina nostra contradicit Augustino.

R. Dist. Maj. Dat potentiam consequentem, Neg. Dat potentiam antecedentem, Conc.

Contradist. Min. Sola gratia efficax dat potentiam antecedentem et consequentem, Conc. Sola gratia efficax dat potentiam antecedentem, Neg.

Explicatio. Potentia antecedens oritur ex praesentia auxilii sufficientis; potentia consequens oritur ex eo quod voluntas libere cum gratia cooperatur; Mens S. Augustini de gratia sufficiente constat ex tractatu "In Joan. Evang." occasione verborum "propterea non poterant credere" (Joan.12,39). Ita explicat verba, "Quare autem non poterant, si a me quaeratur, cito respondeo: Quia nolebant; malam quippe eorum voluntatem praevidit Deus"(Cf. de Journel, n. 1830).

3. Gratia vere et pure sufficiens, si daretur, conferret veram et expeditam agendi potestam quae nunquam in actum prodiret.
Atqui repugnat gratia quae confert potestatem agendi quae nunquam in actum prodit.
Ergo.

R. Conc. Maj.
Neg. Min.

4. Probo Minorem.
Posita gratia vere et pure sufficiente, homo non potest agere.
Atqui ex supposito, gratia pure sufficiens confert potentiam agendi.
Ergo gratia vere et pure sufficiens repugnat.

R. Dist. Maj. Posita gratia vere et pure sufficiente, homo non potest agere potentia consequenti dissensum voluntatis, Conc. potentia antecedenti, Neg.
Contradist. Min. Confert potentiam antecedentem, Conc. consequentem, Neg.
Explicatio. Gratia sufficiens non habet ex se et antecedenter ad dissensum voluntatis rationem pure sufficientis. Non est intrinsece ex sua natura quod nunquam cum effectu conjungatur. Gratia pure sufficiens est gratia quacum Deus praevidit voluntatem hominis non esse cooperaturam. Cum Scientia Dei falli nequeat, hujusmodi gratia, consequenter ad resistentiam voluntatis a Deo praevisam, suum effectum sortiti nequit.

5. Inclinatio ad peccandum saepe intensior solet esse delectatione coelesti, seu gratia inclinante ad bene operandum.
Atqui gratia hujusmodi nequit esse vere sufficiens ad vincendam inclinationem peccaminosam.
Ergo.

R. Conc. Maj.
Dist. Min. Nequit esse vere sufficiens ad omnino compescendam vitiosam inclinationem, Conc. Ad agendum salutariter contra hanc delectationem, Neg.
Explicatio. Indifferentia voluntatis non se habet ad instar bilancis mere passive, sicut Jansenius putavit, sed est indifferentia activa electiva.

THESIS VIII. HOMO SUB INFLUXU GRATIAE MANET LIBER.

Beraza, pp. 450-468.
Mazzella, pp. 57-88; 360-380.
Muncunill, pp. 233-245.
Pesch V, pp. 29-34.
Pohle-Preuss, pp. 223-230.

Ille est liber ad aliquid faciendum qui habet plenam potentiam illud faciendi, et qui simul nullam habet necessitatem illud faciendi. Etenim sunt in libertate duo elementa; unum positivum, aliud vero negativum. Elementum positivum est potestas agendi. Facultas agendi sola non sufficit, sed requiritur plena et completa potestas perficiendi illum individuum actum de quo est quaestio. Elementum negativum est carentia necessitatis agendi.

Neceesitas agendi autem est multiplex.

I. Necessitas moralis oritur ex obligatione morali. Immunitas a tali necessitate est libertas moralis.

II. Necessitas physica oritur a causa physica. Immunitas a tali necessitate est libertas physica. Non loquimur de libertate morali, sed de physica.

1. Causa physica necessitans aut cohibens actionem est aut vis extrinseca facultati aut aliquid facultati intrinsecum.

A. Necessitas physica oriens ex vi extrinseca vocatur coactio. Immunitas a coactione non est libertas, sed spontaneitas. (Vide Prop. 3 Jansenii, D-B. 1094).

B. Necessitas physica oriens ex aliquo facultati intrinseco habetur aut ab ipsa natura facultatis aut ab aliqua determinatione ab extra imposita et in facultati recepta.

a. Facultates vegetativae necessitantur ab eorum naturis, proinde semper eodem modo agunt.

b. Facultates cognoscitivae sunt de se indifferentes ad varios actus. Non ideo tamen sunt liberae, quia ab objecto determinantur ad individuum actum. Eorum indifferentia est passiva.

Voluntas, sicut intellectus, est indifferens ad varios actus, sed quoad actus deliberatos est active indifferens. Nam in his actibus voluntas seipsum determinat ad illum actum quem ipsa seligit. Quare homo liber est in actibus deliberatis voluntatis.

Libertas generatim definitur "potestas activa qua, positis omnibus ad agendum praerequisitis, potest homo agere aut non agere, agere hoc aut illud." Potest agere aut non agere; sc., habet libertatem exercitii. Potest agere aut hoc aut illud; sc., habet libertatem specificationis.

Quaestio est, num gratia necessitet hominem ad bonum actum. Secundum nos, gratia urget, ad bonum actum, sed non necessitat. Gratia dat homini potestatem ponendi actum salutarem, sed non tollit naturalem potestatem non ponendi illum actum.

Probo ex Rom. 9, 16. "Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei." Unde:
Deus producit sine cooperatione hominis illa opera quae sunt opera Dei et non hominis.
Atqui omne opus salutare est opus Dei et non hominis.
Ergo Deus producit omne opus salutare sine cooperatione hominis.

R. Transeat Major.
Nego Minorem.
Explicatio. S. Paulus ibi loquitur de vocatione ad fidem, vv. 24, 25, 26. Non loquitur de omnibus operibus bonis. Sensus v. 16 haec est: adeptio misericordiae seu beneficii indebiti (cf. v. 15) non ab hominis voluntate aut labore sed a Dei misericordis beneplacito dependet.

4. Ex Ezech. 36, 27. "Et faciam ut in praeceptis meis ambuletis." Unde:
Qui facit ut homo bene faciat, tollit libertatem hominis.
Atqui per gratiam Deus facit ut homo bene faciat.
Ergo per gratiam Deus tollit libertatem hominis.

R. Dist. Maj. Qui facit, necessitando, Conc. Qui facit, suadendo et dando potentiam, Neg.
Contradist. Min.

5. Ex Phil. 2, 13. "Deus est enim, qui operatur in vobis et velle, et perficere pro bona voluntate." Unde:
Non sumus liberi quoad ea quae Deus producit in nobis prouti vult.
Atqui Deus producit opera salutaria in nobis prouti vult.
Ergo non sumus liberi quoad opera salutaria.

R. Dist. Maj. Quoad ea quae Deus producit in nobis prouti vult et independenter a nostra cooperatione, Conc. Prouti vult, sed cum nostra libera cooperatione, Neg.
Contradist. Min.
Explicatio. In Phil. 2, 13 sensus est: Debetis cum metu laborare pro salute vestra, non tantum in mea praesentia, sed multo magis in absentia mea, (v. 12), quia sanctificatio vestra non venit a me, nec a vobis, sed a Deo.

6. Ex Esther, 13, 9. "Domine.... in ditione enim tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuae resistere voluntati." Et Rom. 9, 19. "Voluntati enim ejus quis resistit?" Unde:
Homo non potest resistere voluntati Dei.
Atqui posset voluntati Dei resistere si esset liber sub influxu gratiae.
Ergo non est liber sub influxu gratiae.

R. Dist. Maj. Non potest resistere voluntati Dei conditionali, Neg. Voluntati Dei absolutae, Subdist. Non potest eam frustare, Conc. Non potest aliud velle, Neg.
Contradist. Min.

Explicatio. In Esther, 13, 9, non est quaestio de gratia, sed de cursu eventuum externorum. Tota enuntiatio est: "Non est qui possit tuae resistere voluntati, si decreveris salvare Israel." Aliis verbis, Deus, si velit salvare Israel, potest. Salus autem, est mere temporalis. De facto Deus salvavit Israel, non necessitando voluntatem Aman, sed tollendo vitam ejus. Verba in Rom. 9, 19, non sunt verba S. Pauli, sed verba alicujus qui proponit objectionem.

7. Atqui verba quibus S. Paulus respondet illi objectioni, probat hominem non esse liberum sub influxu gratiae.

Probo ex Rom. 9, 21. "An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?" Unde:

Sicut lutum in manu figuli, sic homo in manu Dei.
Atqui lutum in manu figuli non est liberum.
Ergo homo in manu Dei non est liber.

R. Dist. Maj. Quoad jus et potentiam artificis, Conc. Quoad qualitates luti et hominis, Neg. Vide Cornely in h. l.

8. Ex Ezech. 11, 19. "Auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum." Unde:

Qui accipit mutationem cordis a Deo, non est liber sub influxu gratiae.
Atqui homo accipit mutationem cordis a Deo.
Ergo.

R. Dist. Maj. Qui ita accipit ut ipse non possit recusare, Conc. Qui ita accipit ut possit recusare, Neg.

Contradist. Min.

Explicatio. Vide Ezech. 18, 31. "Facite vobis cor novum, et spiritum novum." Deus mutat cor hominis dando bonos impulsus. Homo mutat cor suum sequendo illos impulsus. Liber manet ad sequendum aut non.

9. Ex Joan. 6, 44. "Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum." Unde:

Qui trahitur non est liber.
Atqui,homo sub influxu gratiae, trahitur.
Ergo, sub influxu gratiae, homo non est liber.

R. Dist. Maj. Qui trahitur vi physica, Trans. Qui trahitur vi morali, Neg.

Contradist. Min.

Bene explicat Augustinus libertatem hominis sub influxu gratiae divinae. Cf. "In Joannis Evangelium Tractatus," 26, 2; 26, 4; 26, 7.(de Journel nn. 1821-1824).

10. Atqui qui trahitur gratia, necessitatur.
Ergo manet difficultas.

Probo. Qui trahitur gratia, non potest non sequi delectationem coelestem.
Atqui, ille qui non potest non sequi delectationem coelestem, necessitatur.
Ergo, qui trahitur gratia, necessitatur.

R. Neg. Maj.

11. Inepte ponuntur Jansenistae inter adversarios libertatis.

Probo. Vera libertas stat in eo quod homo facit id quod ei magis placet.
Atqui Jansenistae docent hominem semper facere id quod ei mages placet.
Ergo.

R. Dist. Maj. In eo quod homo facit id quod deliberate seligit, Conc. In eo quod facit id quod ei dat maximam delectationem indeliberatam, Neg.
Contradist. Min.

THESIS IX. NEXUS INFALLIBILIS INTER GRATIAM EFFICACEM ET CONSENSUM VOLUNTATIS NON PENDET EX INTRINSECA NATURA GRATIAE EFFICACIS.

Beraza, pp. 468-538.
Lange, pp. 445-524.
Mazzella, pp. 388-485.
Muncunill, pp. 245-324.
Pesch V, pp. 141-185.
Pohle-Preuss, pp. 231-269.

Efficacia gratiae est duplex: efficacia virtutis et efficacia connectionis. Efficacia virtutis est virtus producendi, una cum voluntate humana, actum salutarem. Efficacia connectionis est actualis connexio cum actu salutari. Omnis gratia interna, ex intrinseca natura sua, est efficax efficacia virtutis. In thesi loquimur de gratia efficaci efficacia connexionis. Quando auctores loquuntur de gratia efficaci et de gratia sufficienti sine addito, intelligunt gratiam efficacem efficacia connexionis et gratiam pure sufficientem.(Cf. thesim 7am).

Tentant theologi explicare cur gratia efficax infallibiliter connectatur cum consensu et gratia sufficiens non connectatur. Triplex infallibilitas est explicanda:

A) Infallibilitas objectiva, quae est ipsa connectio inter gratiam efficacem et consensum.

B) Infallibilitas cognoscitiva, quae invenitur in cognitione Dei; nam Deus, dans gratiam efficacem, infallibiliter cognoscit futurum consensum.

C) Infallibilitas affectiva, quae habetur in intentione Dei. Nam Deus, dans gratiam efficacem, vult consensum hominis, et illa intentio Dei non potest frustrari.

Ad rem explicandam quinque sunt praecipua systemata: 1) Calvinistarum, 2) Thomistarum, 3) Jansenistarum, 4) Augustiniensium, 5) Molinistarum. Ex his 1 et 3 sunt haeretica; cetera sunt Catholica.

1) Facillime rem explicant Calvinistae. Deus vult actum bonum hominis ac proinde absolute discernit illum actum. Hoc decretum certo habebit effectum; hinc C. Inde certo Deus cognoscit futuritionem actus: B. Deus per gratiam necessitat voluntatem ad illum actum; hinc A. Hoc systema negat libertatem hominis sub influxu gratiae, et praeterea non admittit gratiam vere et pure sufficientem. Rejectum est thesi 8a et thesi 7a.

2) Thomistae seu Baneziani, retinent absolutam voluntatem Dei et decretum de absoluta futuritione actus salutaris: hinc C et B. Tenent tamen Deum per gratiam efficacem non necessitare voluntatem humanam, sed eam determinare ad actum. Etiam admittunt gratiam sufficientem. Secundum illos, gratia efficax et gratia sufficiens intrinsece differunt; gratia efficax includit determinationem voluntatis cum qua homo infallibiliter ponit actum; et gratia sufficiens caret illa determinatione, sine qua homo infallibiliter non ponit actum. Hinc A.

3) Jansenistae. Vide thesim 8.

4) Augustinenses. Discrepant a Jansenistis in hoc: dicunt hominem non necessario agere secundum id quod magis ei delectat, sed semper et infallibiliter ita agere.

5) Molinistae. Omnes gratiae actuales sunt ejusdem naturae. Sed quavis gratia interna homo habet potestatem salutariter agendi et potestatem non agendi. Apud hominem est libera selectio. Si homo sequatur impulsum gratiae, gratia est efficax; si non, gratia est pure ~~efficiens~~ sufficiens: ita A. Gratia nempe nominatur efficax aut sufficiens ex eventu. Eventus autem pendet ab homine; non ab homine naturalibus viribus agente, sed ab homine roborato gratia Dei. B et C explicantur per scientiam mediam. Deus cognoscit hunc hominem libere consensurum si detur haec vel illa gratia, et libere non consensurum si detur alia vel alia. Cognoscit nempe consensum conditionalem et dissensum conditionalem. Quare quando Deus discernit actu dare gratiam, praevidit effectum actu futurum: ita B. Et etiam C, quia Deus potest dare gratiam quam praevidet fore efficacem, aut gratiam quam praevidet fore mere sufficientem. In hoc systemate servatur libertas hominis plena.

ADVERSARII

Fautores systematum 1, 2, 3 et 4.

NOTA

Si agitur de Catholicis, thesis non habet notam theologicam. (D-B. 1090, 1097).

PROBATIO

Homo est liber sub influxu gratiae.

Atqui non esset liber sub influxu gratiae si nexus infallibilis inter gratiam efficacem et consensum voluntatis penderet ex intrinseca natura gratiae efficacis.

Ergo ille nexus non pendet ex intrinseca natura gratiae efficacis.

Major constat ex th. 8.

Ad Minorem. Si nexus infallibilis inter gratiam efficacem et consensum voluntatis penderet ex intrinseca natura gratiae efficacis, homo non posset rejicere gratiam efficacem, i.e., non esset liber.

DIFFICULTATES

1. Probatio non valet. Nam gratia efficax Thomistarum ex intrinseca natura sua infallibiliter connectitur cum consensu; et tamen homo sub illa gratia est liber.

R. Nego assertum.

Dist. rationem additam. Conc. primam partem. Neg. secundam.

2. Probo secundam partem. Qui habet potentiam dissentiendi a gratia, est liber sub illa gratia.
Atqui homo habet potentiam dissentiendi a gratia efficaci Thomistarum.
Ergo est liber sub gratia efficaci Thomistarum.

R. Dist. Maj. Qui habet plenam et completam potentiam hic et nunc dissentiendi, C. Qui habet facultatem qua posset aliter velle si gratia non adesset, Neg.
Contradist. Min.

3. Atqui ad libertatem sufficit ut homo posset aliter velle si gratia non adesset.
Ergo manet difficultas.
Probo. Qui potest aliter velle si gratia non adesset, potest a gratia dissentire sensu diviso.
Atqui posse dissentire sensu diviso sufficit ad libertatem.
Ergo.

R. Dist. Maj. Et divisio est in potestate ipsius hominis, N. Et divisio non est in potestate ejus; Conc.
Contradist. Min. Quando divisio est in potestate hominis, Conc. Quando non est, Neg.
Explicatio. Dicunt Thomistae: sedens potest ambulare sensu diviso, i.e., post sessionem; ergo liber est ad ambulandum. Sed conclusio est inepta. Sedens est liber ad ambulandum si habeat in sua potestate finire sessionem; secus non.

4. Determinatio voluntatis a Deo non destruit libertatem.
Ergo manet difficultas.
Probo. Sive voluntas seipsam determinet, sive Deus eam determinet, ante determinationem non potest agere et post determinationem non potest non agere.
Atqui determinatio a seipso non destruit libertatem.
Ergo neque determinatio a Deo.

R. Dist. Maj. Ita ut quando seipsam determinat ipsa determinatio est in potestate voluntatis, et quando Deus eam determinat determinatio non est in potestate voluntatis, Conc. Ita ut utraque determinatio sit aeque in potestate voluntatis, Neg.

5. Determinatio voluntatis a Deo facta non destruit libertatem, nam Deus determinat voluntatem ad actum liberum.

R. Nego assertum et rationem. Determinare ad actum liberum est impossibile.

6. Ex indifferenti nihil sequitur nisi determinatur.
Atqui voluntas est de se indifferens.
Ergo ex voluntate nihil sequitur nisi determinatur.
Ergo determinatur a Deo.

R. Dist. Maj. Nisi determinatur aut a se aut ab alio, Conc. Nisi determinatur ab alio, Subdist. Si indifferentia est passiva, Conc. Si activa, Nego.
Contradist. Min. Voluntas est de se active indifferens, Conc. Est de se passive indifferens, Neg.
Pariter Dist. Primum Consequens. Nisi determinatur a seipsa, Conc. Ab alio, Nego.

7. Atqui voluntas non potest sese determinare.
Probo. Nihil transit in actum nisi per aliquod ens actu.
Atqui voluntas, antequam agit, est in potentia.
Ergo non transit in actum nisi per aliquod ens actu.
Ergo non se determinat.

R. Dist. Maj. Nihil transit de potentia in actum nisi per aliquod ens actu quod incitat et movet ad actum, Conc. Quod determinat ad actum, Subdist. Si id quod transit in actum est potentia libera, Neg. Si non est libera, Conc.
Contradist. Min. Et voluntas est libera, Conc. Et voluntas non est libera, Neg.
Pariter Dist. Primum Consequens. Nisi per aliquod ens actu quod eam incitat et movet, C. Quod determinat eam, Nego.

8. Semipelagiani docebant initium boni operis esse a voluntate humana.
Atqui idem docent Molinistae.
Ergo Molinistae sunt Semipelagiani.

R. Conc. Maj. Nego Min.
Explicatio. Initium boni operis est a Deo, qui per gratiam nos excitat et movet.

9. Aut admittendum est infallibilitatem gratiae efficacis pendere ex intrinseca natura illius gratiae, aut admittenda est scientia media.
Atqui non admittenda est scientia media.
Ergo.

R. Conc. Maj. Nego Min.

10. Probo Min. Scientia media est aliquid novum in ecclesia, et ante Molinam inauditum.
Ergo non est admittenda.

R. Dist. Ant. Ipsa doctrina est nova, Neg. Aliqui termini, C.

THESIS X. IN JUSTIFICATIONE PECCATORIS PECCATA ITA REMITTUNTUR UT VERE DELEANTUR.

Beraza, pp. 619-629.
Lange, pp. 250-260.
Mazzella, pp. 638-657.
Muncunill, pp. 457-471.
Pesch V, pp. 205-212.
Pohle-Preuss, pp. 301-310.

Finito tractatu de gratia actuali, pauca de gratia habituali dicemus. Haec gratia, quae etiam vocatur gratia sanctificans vel gratia justificationis, ea est quae in Sacris Litteris appellatur "semen Dei, participatio naturae divinae, signaculum Spiritus Sancti, pignus caelestis haereditatis, fons aquae salientis in vitam aeternam." Haec est gratia qua efficimur consortes naturae divinae, filii et amici Dei, cives sanctorum, templum vivum Spiritus Sancti, fratres et coheredes Christi et membra corporis ejus(mystici). Haec est gratia qua Christum induimus et novae efficimur creaturae. Est radix omnium virtutum, arbor vitae, cujus fructus alunt nos in vitam aeternam. (Beraza, p. 588).

Justificatio est "translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statu gratiae et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum Salvatorem nostrum." (D-B. 796). Haec translatio consistit in remotione peccatorum et in infusione gratiae sanctificantis et est quid de se permanens.

Peccata dici possunt tegi dupliciter:

1) Ita ut reapse sint, et tantum occultentur, sicut vulnera corporis teguntur ab ipse vulnerato, occultando illa ne appareant.

2) Ita ut non sint, et re vera deleantur; quemadmodum vulnera corporis teguntur a medico ea sanando et extinguendo.

Duplex pariter esse potest non imputatio peccatorum.

1) Qua non imputatur id quod est.

2) Qua non imputatur id quod re vera non est.

Prima tectio et non imputatio est error haereticorum; altera vero, doctrina Catholica. Dicunt ergo Catholici peccata vere remitti, deleri, tolli, auferri. Tunc homo nec denominatur peccator nec est. Reatus culpae, seu debitum sustinendi odium et inimicitiam divinam, quod in peccatore post transgressionem legis remanet, omnino aufertur.

ADVERSARII

Novatores sicut Lutherus et Calvinus, secundum quos in justificatione peccata non tolli sed tegi; non avelli, sed radi propter iustitiam Christi fide apprehensam. Peccata sunt rasa, quia ita sunt ~~quasi~~ ut non appareant; sunt tecta, quia sunt ac si non videantur a Deo, cum ea non puniat. Deus enim videns fideles quasi indutos justitia Christi, eos pro justis habet, quamvis peccatores intrinsece manent. Fundatur error Protestantium

in doctrina eorum secundum quam concupiscentia (quae utique manet in justificato) est peccatum formale. (Cf. D-B. 742). Pro definitione concupiscentiae, cf. p. 18.

NOTA

De fide. Trid. Sess. 5. (D-B. 792).

PROBATIO

Doctrina quae clare fundatur in Sacra Scriptura est tenenda.

Atqui Sacra Scriptura clare et saepius asserit in justificatione peccata ita remitti ut vere deleantur.

Ergo in justificatione peccata ita remittuntur ut vere deleantur.

Ad Minorem.

Haec doctrina tam saepe et tam clare exprimitur in Sacra Scriptura ut hagiographi omnem locum falsae interpretationis removere videantur.

1) Peccata dicuntur tolli, auferri, transferri, deleri, e.g., "Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi"(Joan. 1, 29). Cf. 1 Paral. 21, 8; Is. 44, 22.

2) Sicut in Sacra Scriptura peccata vocantur maculae quibus anima sordida efficitur, ita per gratiam quae in justificatione infunditur dicitur anima lavari, mundari, ablui, e.g., "Et haec quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis." (1 Cor. 6, 11). Cf. Ps. 50, 4 et 9; 1 Joan. 1, 7 et 9.

3) Peccata dicuntur exhauriri, proici in mare, iam non amplius esse, e.g., "Sicut et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata."(Heb. 9, 28). Cf. Ps. 102, 12; Mich. 7, 19.

N. B. I. Quatenus pauci loci Protestantibus videntur favere, plures citamus.

N. B. II. Nullo modo dicimus justificationem consistere in sola remissione peccatorum.

DIFFICULTATES

1. Ex Ps. 31, 1 et 2: "Beati, quorum remissae sunt iniquitates: et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum." Unde:

Peccata quae in justificatione teguntur et proinde non imputantur, non vere delentur.

Atqui secundum Psalmistam peccata in justificatione teguntur et proinde non imputantur.

Ergo in justificatione peccata non vere delentur.

R. Dist. Maj. Peccata quae teguntur quamvis maneant, et quae non imputantur quamvis sint, non vere delentur, Conc. Peccata quae teguntur et proinde non imputantur quia non sunt, non vere delentur, Neg.

Contradist. Min. Peccata teguntur et non imputantur quia manent, Neg. Peccata teguntur et non imputantur quia non manent, C.

Explicatio. Scriptura sibi ipsi non contradicit. Si peccata post justificationem manerent, esset contradictio dicere peccata deleri, auferri, ablui. Non est contradictio dicere peccata deleta esse tecta vel non imputata. Praeterea interpretatio nostra est interpretatio Patrum, e.g., Justini, in "Dialogo cum Tryphone," 141(de Journel, n. 146).

2. "Vere scio quod ita sit, et quod non justificetur homo compositus Deo." (Job 9, 2) "Et non intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens." (Ps. 142, 2)

Ergo homines etiam post justificationem manent turpes et maculati coram Deo.

R. Nego Consequens. Objecta testimonia aliaque similia id unum referunt, nullum nempe hominem esse immunem ab omni peccato, nec posse de sua justitia praesumere (a) quia vel homines justi peccatis venialibus se maculant, vel (b) quia plerumque in ipsis bonis operibus aliquid imperfectionis permiscetur, vel (c) quia justitia omnis a Deo est, vel (d) quia justitia hominis, si cum justitia Dei conferatur, penitus evanescit.

3. Ex oratione Dominica, "Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris." Unde:

Deus remittit peccata nostra sicut nos remittimus peccata contra nos.

Atqui nos remittimus peccata tantum per externam condonationem.

Ergo, et Deus remittit peccata tantum per externam condonationem.

R. Dist. Maj. Sicut, in eadem mensura, Conc.
Sicut, eodem modo, Neg.
Conc. Min.
Pariter Dist. Cons. Si Deus remittit peccata eodem modo ac nos, Conc. Si Deus remittit peccata in eadem mensura ac nos, N.

4. Ex Rom. 7, 17. "Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum." Unde:

Ille in quo habitat peccatum, non est intrinsece justus.

Atqui peccatum habitat in justificato.

Ergo justificatus non est intrinsece justus, seu peccata sua non vere delentur.

R. Dist. Maj. Ille in quo habitat peccatum proprie dictum, Trans. In quo habitat peccatum metaphorice dictum, i.e., concupiscentia, Neg.

Explicatio. Vide Trid. Sess. 5(D-B. 792). Apostolus aliquando concupiscentiam vocat peccatum, quamquam non est. Aliquando vocatur peccatum, quia ducit nos ad peccatum et quia in nobis est effectus peccati Adami.

5. Verbum "justifico," graece δικαιόω, non significat justum facere, sed dumtaxat pronuntiare seu declarare justum.

Ergo quando peccator justificatur, non vere fit, sed tantum declaratur justus.

R. Dist. Antec. Verbum "justifico," graece δικαιόω, non significat justum facere apud auctores profanos, Conc. Apud scriptores sacros, Subdist. Hoc non significat semper, Conc. Aliquando et in casu nostro, Neg.

Explicatio. Scriptores Latini classici non agnoverunt verbum "justifico;" Graeci autem qui verbo δικαιόω utebantur, nullam ideam internae justificationis habebant. Ergo cum tunc temporis non nisi forensis justificatio cognosceretur, nil mirum si scriptores profani sub hac sola significatione praedictum verbum usurpaverint. Pro variis significationibus verbi "justificare" in Sacris Litteris cf. Zorell, "Lexicon Graecum Novi Testamenti," 2 s.v.

6. Judex humanus absolvendo reum non facit eum innocentem, sed declarat eum esse innocentem.

Ergo, a pari, Deus absolvendo peccatorem, non facit eum justum, sed declarat eum esse justum.

R. Conc. Anteced.

Nego Paritatem. Nam judicis humani non est absolvere reum a crimine commisso, neque quoad culpam neque quoad poenam; sed tantum inquirere an reus commiserit crimen quod ei imputatur; quod si commiserit, eum poena a lege statuta plectere; sin autem non commiserit, eum innocentem declarare. Verum Dei justificantis est absolvere hominem a peccato vere commisso. Quo igitur pacto poterit Deus declarare esse justum eum qui revera est criminis reus?

THESIS XI. CAUSA FORMALIS JUSTIFICATIONIS EST DONUM INTRINSECUM IN ANIMA ET PHYSICE PERMANENS, QUOD APTE VOCATUR GRATIA SANCTIFICANS.

Beraza, pp. 637-686.
Lange, pp. 262-291; 296-324.
Mazzella, pp. 593-629.
Muncunill, pp. 412-427; 432-445.
Pesch V, pp. 194-202; 212-220.
Pohle-Preuss, pp. 311-362.

Quaestio est de ipsa natura justificationis. Causa formalis justificationis est illud quo possesso justi sumus, et quo non possesso non sumus justi.

Novatores hoc modo explicant. Ex parte hominis justificandi nihil requiritur praeter fidem in Christo. Haec autem fides non est fides dogmatica, qua credimus vera esse illa quae a Deo revelantur, neque fides miraculorum, qua patrantur miracula, sed est fides qua homo credit se esse salvatum per Christum. Hac fide homo arripit et induit justitiam Christi. Quare justitia Christi ei imputatur, et non imputatur ei peccata sua. Homo reputatur justus propter justitiam Christi, et non imputatur peccator, quamvis sit.

Catholici docent justificationem fieri per intrinsecam mutationem in anima hominis, factam a Deo. Homo adultus sese praeparat ad justificationem, non tantum per actus fidei dogmaticae, sed etiam per actus aliarum virtutum. (D-B. 798). Anima mutatur per donum supernaturale, de se permanens, quod vocatur gratia sanctificans.

Haec gratia delet maculam peccati mortalis.(Cf. Thesim 10am). Etiam confert jus ad visionem beatificam. Praeterea haec gratia est"quaedqm similitudo divinitatis participata in homine." (S. Thomae 3, q. 2, art. 10, ad 1um). Est enim similitudo divinae naturae in quantum dat jus ad visionem intuitivam Dei, quae visio est naturalis soli Deo. Nam sicut natura divina postulat illam visionem sui ipsius quam Deus habet, et cujus principium proximum est intellectus divinus, ita haec gratia sanctificans in nobis postulat visionem intuitivam Dei, cujus visionis principium proximum est intellectus noster divinitus adjutus. (2 Pet. 1, 4).

Haec gratia reddit animam capacem eliciendi actus meritorios aeternae vitae. Et quoniam hi sunt actus vitales, ideo gratia sanctificans vocatur novum principium vitae in anima, et homo, accipiens hanc gratiam dicitur regenerari aut renasci. (Tit. 3, 4; Joan. 3, 5). Haec gratia facit nos filios Dei, nam per illam Deus regenerat nos in similitudinem suae naturae.

In justificatione cum gratia infunduntur virtutes theologicae. Probabilius etiam infunduntur virtutes morales. Hae virtutes habent ad gratiam illam relationem quam facultates habent ad animam.

Summatim: Gratia sanctificans habet varias relationes:
1. Relate ad Deum, est similitudo divinae naturae.
2. " ad animam, est vita supernaturalis et mundities.
3. " ad virtutes infusas, est natura.
4. " ad actus meritorios, est eorum dignitas et valor,
5. " ad vitam aeternam, est semen gloriae et jus haereditatis.

Caute distinguendae variae causae justificationis. Trid. Sess. 6.(D-B. 799).

Tres sunt partes:
1. Causa formalis justificationis est donum intrinsecum in anima.
2. Hoc donum est physice permanens.
3. Hoc donum apte vocatur gratia sanctificans.

Res physice permanet quando ipsa res, in entitate sua, permanet. Res moraliter permanet aut quando ejus effectus manent, aut quando ipsa res tam saepe repetitur ut virtualiter maneat.

ADVERSARII

Novatores contra omnes partes.

N.B. Catholici tenent omnes partes. Sed quoad secundam partem fuerunt aliqui, qui tenebant saltem possibilitatem permahentiae moralis.(Beraza, pp. 664-666; Lange, pp. 268 sq.).

NOTA

Prima pars, de fide definita. Trid. Sess. 6.(D-B. 799 et 821).
Secunda pars, saltem certa ex eodem loco.
Tertia pars non habet notam theologicam.

PROBATIO

Prima et secunda pars simul probantur.

Donum quod in Scripturis comparatur principio vitae, est intrinsecum in anima et physice permanens.
Atqui causa formalis justificationis est donum quod in Scripturis comparatur principio vitae.
Ergo causa formalis justificationis est donum intrinsecum in anima et physice permanens.

Ad Maj. Quia secus comparatio esset inepta.
Ad Min. 1) Justificatio est donum.(Eph. 2, 8; Rom. 3,24; 5, 15 sq., Tit. 3, 5).
2) Comparatur principio vitae.(Joan. 3, 5; 1 Pet. 1,3; Rom. 8, 10; Gal. 6, 15).

TERTIA PARS PROBATUR

Apte vocatur gratia, quia,
est donum indebitum, ut probatum est;
et pertinet ad vitam aeternam, ut patet.
Apte vocatur sanctificans, quia
confert sanctitatem.

DIFFICULTATES

1. Justitia non est nobis intrinseca.
Ergo falsa est thesis.
Probatur ex Psal. 131, 9. "Sacerdotes tui induantur justitiam." Etiam ex Rom. 13, 14; Gal. 3, 27; Eph. 4, 24; Col. 3, 10. Unde:
Justitia est indumentum.
Atqui indumentum non est nobis intrinsecum.
Ergo justitia non est nobis intrinseca.

R. Dist. Maj. Est indumentum spirituale, Conc. Est indumentum materiale, Neg.
Contradist. Min.
Explicatio. Justitia est indumentum in quantum est aliquid quod additur animae, et postea amitti potest. Sed quidquid additur animae, intrinsece afficit animam.

2. Ex Rom. 4, 3. "Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam." Etiam Gal. 3, 6; Gen. 15, 6; Jac. 2, 23. Unde:
Justitia quae stat in mera imputatione externa, non est nobis intrinseca.
Atqui justitia nostra stat in mera imputatione externa.
Ergo.

R. Conc. Maj.
Nego Minorem.
Explicatio. "reputatur fides ad justitiam significat fidem computari in ordine ad justitiam, in quantum fides est dispositio. Vide Psal. 105, 31, ubi idem dicitur de opere quod fecit Phineez. Cf. Num. 25, 1-9. Fides non identificatur cum justitia. Cf. Lavaudey in "Bulletin Dominicain, nov. 1931, pp 328 sq.

3. Ex 1 Cor. 1, 30. Christus "factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio." Unde:
Justitia nostra est justitia Christi.
Atqui justitia Christi non est nobis intrinseca.
Ergo justitia nostra non est nobis intrinseca.

R. Dist. Maj. Christus est causa meritoria nostrae justitiae, C. Christus est causa formalis nostrae justitiae, Neg.
Conc. Min.
Pariter Dist. Consequens. Causa meritoria justitiae nostrae non est nobis intrinseca, Conc. Causa formalis justitiae nostrae non est nobis intrinseca, Neg.
Explicatio. Inter beneficia nobis collata a Deo est nostra insertio in corpus Christi mysticum. Ex hoc sequitur quod nobis insertis sapientia Christi fit nostra, justitia sua fit nostra, etc. Hoc significat Christum nos facere sapientes (i.e., immunes ab errore), justos, etc. Apostolus non loquitur de justitia imputativa sensu Protestantico, quia secundum eum "Christus factus est nobis sapientia et justitia." Atqui re vera communicat nobis sapientiam internam, ergo et justitiam internam.

4. Ex Phil. 3, 9. "Non habens meam justitiam, quae ex lege est, sed illam quae ex fide est Christi Jesu, quae ex Deo est justitia in fide." Unde:

Justitia quae opponitur justitiae intrinsecae, non est nobis intrinseca.

Atqui justitia quae est ex Christo opponitur justitiae intrinsecae.

Ergo justitia quae est ex Christo non est nobis intrinseca.

R. Dist. Maj. Justitiae quae opponitur omni justitiae intrinsecae non est intrinseca, Conc. Justitia quae opponitur justitiae legis Mosaicae, Neg.

Contradist. Min.

5. Ex 2 Cor. 5, 21. "Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremus justitia Dei in ipso." Unde:

Eodem modo sumus justi per Christum, quo Christus est peccator per nos.

Atqui Christus est peccator tantum per imputationem extrinsecam.

Ergo nos sumus justi tantum per imputationem extrinsecam.

R. Neg Maj.

Explicatio. Sensus est Deus Filium suum tractavit ut summum peccatorem, in quo nil esset nisi peccatum(Cf. Is. 53, 6; 1 Pet. 2, 24). Hoc factum est pro nobis. Finis hujus modi agendi fuit ut nos inserti Christo satisfacienti et morienti, ipsius gratia, non nostris meritis justi efficeremur justitia quam Deus infundit cordibus nostris. Est unio inter Christum et genus humanum. Propterea Christus ut membrum generis humani tractatur ut peccator. Jesus non tractatur ut peccator vice nostra(ἀντι), sed in commodum nostrum(ὑπερ), assumens nostram naturam. Et nos efficimur justitia Dei, i.e., justi, non independenter ex Eo, sed in Eo(ἐν αὐτῷ). Unio cum peccatoribus non potuit Jesum reddere peccatorem, est enim "qui non noverat peccatum;" unio tamen cum Justo nos reddebat reddit vere justos, sed quatenus haec justitia provenit ex gratia et non ex nobis, vocatur "justitia Dei." Ita Cornely in h.l., et Prat, "La Théologie de Saint Paul," II^2, pp. 295 sq.

6. Peccator non habet justitiam intrinsecam.

Atqui homo justificatus est peccator.

Ergo non habet justitiam intrinsecam.

R. Dist. Maj. Qui habet peccata mortalia, Conc. Qui habet peccata venialia, Neg.

Contradist. Min. Peccat venialiter, Conc. Peccat mortaliter, Subdist. Et manet justus, Neg. Et desinit esse justus, Conc.

THESIS XII. HOMO JUSTUS, BONIS OPERIBUS AB EO PER GRATIAM DEI FACTIS, VERE MERETUR VITAM AETERNAM.

Beraza, pp. 819-863.
Lange, pp. 557-574.
Mazzella, pp. 747-784.
Muncunill, pp. 542-556; 565-580.
Pesch V, pp. 240-259.
Pohle-Preuss, pp. 397-435.

De notione meriti, vide thesim 5am, p. 21.

Dicimus justum, per opera sua salutaria, vere mereri vitam aeternam. Hoc meritum est condignum, quamvis hoc non explicite dicitur in thesi. Certe illa opera, praecise in quantum sunt opera nostra, et independenter a gratia Christi, non habent illam aequalitatem ad vitam aeternam quae requiritur ad meritum condignum. Sed illam aequalitatem habent ex gratia sanctificante. Nam sicut per illam gratiam participamus de personali dignitate Christi, et sumus filii Dei, adeoque digni vita aeterna, ita per illam gratiam actiones nostrae salutares participant de dignitate actionum Christi, et sunt dignae vita aeterna. (Pesch V, nn. 394, 396). Merita nostra sunt dona Dei.

Probabilius haec dignitas operis constituit meritum in actu primo, et ad meritum in actu secundo requiritur promissio vel ordinatio Dei.

Meritum in actu primo est valor operis sufficiens. Meritum in actu secundo est efficacia operis ad obtinendum praemium.

ADVERSARII

Novatores, et Protestantes generatim.

NOTA

De fide definita. Trid. Sess. 6,(D-B. 842).

PROBATIO

Ex Matt. 25, 34-37. "Venite benedicti" et 41-44, "Discedite a me." Unde:

Eadem est relatio inter bona opera justorum et vitam aeternam ac inter mala opera peccatorum et ignem aeternam.

Atqui inter mala opera peccatorum et ignem aeternam est relatio verae causalitatis moralis.

Ergo inter bona opera justorum et vitam aeternam est relatio verae causalitatis moralis.

Ergo bona opera justorum vere merentur vitam aeternam.

Iterum probatur ex Matt. 5, 12; 2 Tim. 4, 7-8; et Jac. 1, 12. Bonis operibus datur "merces copiosa in coelis," "corona justitiae," "corona vitae."

N.B. Infantibus et usu rationis privatis vita aeterna datur ut haereditas, adultis vero cum ut haereditas tum ut meritum.

DIFFICULTATES

1. Non possumus pro nobis mereri id quod Christus pro nobis meruit
Atqui Christus pro nobis meruit vitam aeternam.
Ergo non possumus pro nobis mereri vitam aeternam.

R. Dist. Maj. Non possumus mereri id quod Christus pro nobis meruit absolute, C. Id quod meruit conditionate ad nostram cooperationem, N.
Contradist. Min.

2. Atqui Christus meruit pro nobis independenter a nostra cooperatione.
Ergo manet difficultas.

Probo. Merita Christi sufficiunt ad nostram salutem.
Atqui si meruit conditionate, merita ejus non sufficiunt.
Ergo non meruit conditionate.

R. Dist. Maj. Sufficiunt in se, i.e., habent in se sufficientem valorem, C. Sufficiunt quoad nos, i.e., oblata sunt a Christo et acceptata a Deo pro nostra salute independenter a cooperatione nostra, N.
Contradist. Min.

3. Si Christus meruit conditionate, merita Christi pendent a nobis.
Atqui merita Christi non pendent a nobis.
Ergo Christus non meruit conditionate.

R. Dist. Maj. Ipsa merita Christi pendent a nobis, N. Consecutio vitae aeternae, Subdist., Dependenter a meritis Christi, C. Independenter a meritis Christi, N.

4. Ex Rom. 6, 23. "Gratia autem Dei, vita aeterna." Unde:
Vita aeterna est donum indebitum.
Atqui objectum meriti non est indebitum.
Ergo vita aeterna non est objectum meriti.

R. Dist. Maj. Est donum in quantum non datur nobis propter bona opera nostra per gratiam facta, N. In quantum potestas eliciendi illa bona opera est donum indebitum, C.
Contradist. Min.

5. Atqui non datur vita aeterna propter bona opera.
Ergo manet difficultas.

Probo. Vita aeterna est haereditas.
Atqui haereditas non datur propter bona opera.
Ergo.

R. Dist. Maj. Est haereditas et etiam merces, C. Est haereditas et non etiam merces, N.
Contradist. Min.

Explicatio. Vide Trid. Sess. 6(D-B. 809). Omnes qui accipiunt vitam aeternam, accipiunt eam titulo haereditatis; aliqui etiam titulo mercedis. Titulus mercedis fundatur in titulo haereditatis vitae aeternae, nam soli haeredes vitae aeternae possunt merere eam; sed titulus mercedis latior est quam titulus haereditatis.

6. Ex Luc. 17, 10. "Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus." Unde:
Qui facit tantum id quod debet facere, non meretur praemium.
Atqui justus facit tantum id quod debet facere.
Ergo justus non meretur praemium.

R. Dist. Maj. Nisi Deus promittat praemium, Trans. Si Deus promittat, N.
Contradist. Min.

7. Qui vocatur servus inutilis, non accipiet praemium.
Atqui justus vocatur servus inutilis.
Ergo.

R. Dist. Maj. Qui ita vocatur ad excludendam jactantiam, N. Ad excludendum meritum, C.
Contradist. Min.

8. Opus quod non affert bonum Deo, non meretur praemium ex Deo.
Atqui bona opera justorum non afferunt bonum Deo. Ergo.

R. Dist. Maj. Opus quod affert bonum neque internum neque externum, C. Quod non affert bonum internum, sed affert bonum externum, N
Contradist. Min.(Cf. S. Thomam 1,2, q.114, a.1, ad 2).

9. Opera bona justorum nullam habent aequalitatem cum vita aeterna.
Atqui opera quae nullam habent aequalitatem cum vita aeterna non vere merentur vitam aeternam. Ergo.

R. Dist. Maj. De se, independenter a meritis Christi, C. Prout per gratiam sanctificantem participant de meritis Christi, N.
Contradist. Min.

10. Ex Rom. 8, 18. "Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam." S. Paulus ibi loquitur explicite de passionibus filiorum Dei, v. 17. Unde:

Opera bona filiorum Dei non sunt condignae ad vitam aeternam.
Atqui opera bona filiorum Dei, sunt opera bona in quantum participant de meritis Christi.
Ergo opera bona in quantum participant de meritis Christi, non sunt condignae.

R. Neg. Maj.
S. Paulus non loquitur de actionibus, sed de passione. Dolores hujus temporis comparantur cum gaudio vitae futurae. Non est quaestio de valore actus, sed de acerbitate et duratione doloris.

AUCTORITATES SCRIPTURAE PRAECIPUAE.

	PAGINA.
Gen.6,5	16
Deut.30,11	19
Esther 13,9	38
Ps.31,1et2	46
131,9	51
142,2	47
Eccl.8,11	27
Is.1,14sq.	14
Ezech.11,19	38
33,11	27
36,27	37
Dan.4,24	12
2Mac.9,13	29
Matt.7,18	13
11,21	33
12,31b	30
25,34-37	53
26,41	28
Luc.11,9	24
17,10	55
18,13	14
Joan.1,29	46
3,5	50
6,44	38
12,39	34
13,36	28
15,1-6	8
Act.10,34	23
14,15	31
Rom.2,13sq.	8
2,14	18
4,3	51
6,23	54

AUCTORITATES SCRIPTURAE PRAECIPUAE.

	PAGINA.
Rom.7,17	47
8,18	55
9,13	29
9,16	37
9,18	29
9,21	38
11,6	22
14,23	15
1Cor.1,30	51
4,7	44
6,11	46
10,13	27
12,6	36
2Cor.5,21	52
Eph.2,8	50
Phil.2,13	37
3,9	52
2Thes.2,11	26
1Tim.2,4	28
Tit.1,15	15
Heb.6,4-6	29
9,28	46
10,26	29
11,6	15
12,17	29
Jac.4,8	24
2Pet.1,4	49

-0-

INDEX RERUM

	Pagina
ACTUS naturalis	17
ACTUS salutaris	7
APOSTATA	11
CAUSA formalis justificationis	49
COACTIO	35
CONCUPISCENTIA	18
DELECTATIO coelestis et terrena (Jansenii)	32
DISPOSITIO ad gratiam	21
EFFICACIA gratiae	40
EXCAECATIO	26
FIDELIS	11
FIDES dogmatica	49
FIDES fiducialis	49
GRATIA - definitio et divisiones	1 sq
" efficax	32
" magna et parva (Jansenii)	32
" praeveniens et concomitans	2
" proxime et remote sufficiens	26
" vere et pure sufficiens	32
" sanctificans	11, 45 sqq
GRATUITAS gratiae	21
HOMO lapsus	11
ILLUSTRATIO mentis	2
IMPETRATIO	21
IMPOTENTIA physica et moralis	17
IMPUTATIO meritorum Christi	45, 49
INDUMENTUM est gratia	51
INFALLIBILITAS objectiva, gognoscitiva, affectiva	40
INFIDELIS	11
INSPIRATIO voluntatis	2
JUSTIFICATIO	7, 45
" forensis	48
JUSTUS	11
LEX naturalis	17
LIBERTAS	35
MERITUM de condigno et de congruo	21, 53
MERITUM de condigno, requisita	21

INDEX RERUM

	Pagina
NECESSITAS agendi physica et moralis	35
" gratiae	7
NEXUS inter gratiam efficacem et consensum voluntatis	40
OBDURATIO	26
OBSTINATIO	26
ODIUM Dei absolutum et relativum	29
OPUS bonum	11
PECCATOR	11, 26
POTENTIA absoluta et relativa	32
" antecedens et consequens	34
" physica et moralis	11
PRAEDETERMINATIO physica	40
SALUS	7
SCIENTIA media	41
VITA aeterna	1

INDEX NOMINUM

	Pagina
Augustinenses	41
Augustinus	9,14,16,44
Baius	12
Banezani	40
Beraza	16,45
Calvinistae	40
Calvinus	27,32,36,45
Cornely	9,19,38,52
Fernandez	51
Fillion	29
Fonck	13,24
Jansenistae	11,12,27,32,36,39,41
Jesuitae	44
de Journel	14,34,38,44,46
Knabenbauer	8,16
Lutherus	27,32,36,45
Molinistae	41
Novatores	11,32,49,50,53
Pelagiani	3,7,18
Pesch	2,3,44,53
Prat	19,52
Protestantes	53
Quesnellus	12
Rationalistae	7
Semi-Pelagiani	7,22
Thomas	1,6,44,49
Thomistae	3,40
Tixeront	2,14
Zorell	48

234.02
M793

42305

MORAN, S. J., John ~~JOHANNES~~

AUTHOR

Thesis
~~Theses~~ Quaedam Selectae

TITLE

De Gratia.

DATE DUE	BORROWER'S NAME
	STORAGE - CBPL

42305